



OJ
INTER FOLIA FRVCTV

CURAE THEOCRITEAE

AD

ADONIAZUSAS SPECTANTES.

PARTICULAE I. ET II.,

quae conitnent

commentarios criticos atque exegeticos quibus loci difficiliores explanantur, antiquae lectiones, codicibus Parisinis diligenter collatis fultae, a coniecturis G. Hermanni vindicantur, editionis PARISINAE PRINCIPIS HUCUSQUE INCOGNITAE accurata notitia praebetur, et ex literis ab illustri PROKESCHIO e Graecia datis nonnulla, ad inscriptionem Aeolicam pertinentia, communicantur.

Post uberrimam Valckenaerii messem spicilegium.

EDIDIT

FRANCISCUS WEISSGERBER.

FRIBURGI BRISIGAVIAE.

APUD FRIDERICUM WAGNER.

MDCCCLII.

In *part. I.* (programm. lyc. Rastadini ann. 1848) insunt haec:

I. *Praefatio* editionis ipsius hujus Idyllii, quam in publicum emissurus est hujus opusculi auctor (p. 1—9).

II. *Prolegomena*, praecipue ad *partium distributionem* (vv. 1—3, 22—26) et difficiliorum locorum (v. 25 ὧν εἶδες κτλ v. 50 ἐριοί s. ἐρειοί explanationem pertinentia (p. 9—31).

III. *Descriptio* trium optimorum *codicum Parisinorum*, ab auctore collatorum.

IV. *Index* ac brevis dijudicatio editionum et veterum (fere omnium) et recentiorum, quibus ad parandam suam editionem usus est auctor. Inter veteres istas, quas contulit, editiones est PARISINA PRINCEPS sub annum MDX ab CELSO HUGONE curata, ab AEGIDIO GOURMONT. („primo graecarum litterarum apud Parrhisios impressore,") typis excusa, HUCUSQUE PRORSUS IGNOTA (p. 31—40).

V. Editionis criticae atque exegeticae specimen (vv. 1—6).

VI. Lectionis variae ex codd. et EDIT. GOURMONT. desumptae specimina (vv. 1—32).

In *part. II.* (programm. lyc. Friburg. ann. 1851) nomina apud Theocritum occurrentia nec non Idyllii XV. loci aliquot difficiliores explicantur.

PRAEFATIO.[1])

Permulti effluxerunt anni, ex quo in „*Museo Germanico*“[2]) undecimum Theocriti Idyllium in linguam vernaculam nostram conversum et prooemio annotationibusque instructum in lucem

[1]) Multis jam abhinc annis Idyllii XV. editionem, notis criticis atque exegeticis instructam, curare animum induxeram; et ad finem fere jam perducta erat, quum eorum Virorum, quibus grati animi significandi causa eam dedicaveram, duo subito morerenter; quo omine infausto deterritus editionem meam *suppressi* i. e. *in publicum non emisi*. Quod dictum sit illis omnibus iisque multis, qui per librarios venditores opusculum hocce meum postularunt, praecipue autem clarissimis Viris, de Theocrito optime nunc meritis tenuique Musae meae faventibus, *Ameisio* et *Wuestemanno*, quorum alter per literas humanissimas ad me missas, alter in praeclara editione sua, *Friderico Jacobsio dicata* (prodiit Gothae et Erfordiae a. 1830) pag. 215 his verbis eam desideravit:

„*Weissgerberum* quoque ampliore commentario instructum hoc Idyl-
„lium edidisse, ex iis intellixi, quae observationibus ad Id. II. Friburgi
„1828 in lucem editis praemisit. *Ipsum tamen libellum mihi nondum*
„*contigit nancisci.*“

Itaque ipsa illa, quae tunc scripsi typisque maxima ex parte jam mandanda curavi, nunc retractabo ita tamen, ut ea, quae hoc de Idyllio ad hanc diem usque in lucem prodierunt, ut par est, respiciam et, quod ad commentaria mea attinet, mutanda quae nunc videantur, immutem.

[2]) *Deutsches Museum*, herausgegeben von *Ernst Münch* und einem Vereine von Gelehrten. (Freiburg i. B. bei Friedrich Wagner. 1824.)

In ista Ephem. Vol. I. fascic. II. pp. 225—251 apparet:

„Theokrit's XI. Idyll. (Kyklops), metrisch in's Deutsche übertragen
„und erklärt von *F. Weissgerber*, Prof. am Gymn. zu Freiburg.“

edidi; de quibus minutis Musae meae primitiis complures viri docti tam benigne tamque indulgenter publice pronunciarunt,[1]) ut omnium suavissimi Simichidae [2]) reliquiarum editionem, ex fontibus haustam et criticis atque exegeticis [3]) notis ornatam, serius ocius curare decreverim. Itaque paucis post mensibus florentissimam pulcherrimamque Francogallorum urbem, inclytam literarum sedem, Parisios adii, ibique in bibliotheca regia, manu scriptorum ubertate librorum insigni, et, quod non sine quadam animi elatione *Hasius* (illius bibliothecae conservator, vir doctissimus, repetenda editione Thesauri Stephaniani nunc in primis clarus) nos monuit, *veteris Alexandrinae quodammodo aemula,* Theocriti codices MSS., eosque antiquissimos Parisinorum optimosque, quos infra in librorum et calamo exaratorum et typis expressorum, quibus usus sum, indice pluribus sum descripturus. Eorum primus, numero 2831. insignitus, omnium, qui ibi asservantur, sine ulla dubitatione antiquissimus (si non XII., certe XIII. saeculi) ipse ille mihi videtur esse, quem divus Ruhnkenius (at promiscue tantum!) inspexit;[4]) alter, n. 2884. notatus, is est, quem Brunckius non modo ad edendum poëtam nostrum, sed etiam ad restituendas Sophoclis quasdam tragoedias adhibuit; tertius est n. 169., antehac n. 316., Coislinianus quondam, omnium splendidissimus et quum ob scripturae magnificentiam ac nitorem, tum maxime ob lectionum elegantiam atque praestantiam, etsi XIV. demum is saeculi sit, maximi tamen faciendus; quos omnes non, ut fecerunt hucusque plurimi, obiter inspexi aut de singulis tantum locis difficilioribus consului, sed diligentissime constantissimeque comparavi,

---

[1]) Vide: Leipziger Literaturzeitung 7. Dec. 1824, Nr. 304, p. 2431. Morgenblatt (Literatur-Blatt, redig. von Menzel) 31. Dec. 1824. Europ. Blätter, Monat. Dec. 1824.

[2]) Cognomen Theocrito inditum Idyll. VII, 50.

[3]) Sit venia his adjectivis certe *graecis*, at ab summis philologis, ut F. A. Wolf., G. Hermann., A. Boeckh., latinorum loco adhibitis.

[4]) Vide ea, quae hac de re in librorum a me adhibitorum catalogo dixi.

summo Homerida [1]) monitus, nonnisi continua ac constanti librorum MSS. collatione antiquis scriptoribus emendandis adjumenti quid posse afferri, veteraque exemplaria, calamo exarata, surda plerumque oracula esse, nisi constanter consulentibus.

Codicem istum Coislinianum, quum is me lateret, utpote in catalogo non suo loco indicatus, doctissimus vir D. Julius *Sillig.*, Lipsiensis, divi *Spohnii* quondam discipulus, tanto magistro dignus, qui tunc temporis Catulli poëmatis ex codicibus emendandis gnaviter, uti solet, operam dabat, non sine quodam labore investigatum, mira cum urbanitate atque humanitate conferendum mihi obtulit.

Prae ceteris autem in opere, quod mihi proposueram, ex sententia conficiendo atque absolvendo me juvit vir suavissimis moribus ac singulari probitate atque humanitate non minus, quam ingenii ac doctrinae laudibus insignis, literarum Graecarum nec non ipsius Theocriti [2]) longe solertissimus illo tempore in Gallia felicissimusque cultor, *Jo. Baptista Gail,* alter codicum MSS. bibliothecae regiae conservator, doctissimis viris nostris, Seebodio Beckioque [3]) „*non mediocre Francogalliae decus*" optimo jure nominatus. Qui vir clarissimus me, adolescentem alienigenam, peregrinum advenam, e multis unum sine nomine, ut qui vix et ne vix quidem in arena literaria tirocinium posuissem, scil. edito minuto illo, quod supra memoravi, specimine Theocriteo, quod ei obtuleram legendum, tanta cum humanitate ac benevolentia excepit tantaque, dum Parisiis tenebar, cura, benignitate, amore prosequebatur, ut non peregrinum hominem, non novum hospitem, nunquam ante mihi visum, sed veterem spectatumque amicum, imo vero patrem amantissimum salutisque meae diligentissimum invenisse mihi viderer; pro quibus

---

[1]) F. A. Wolf, prolegg. ad Homer. p. IV.

[2]) Nunc de colendo Theocrito apud Gallos in primis meretur *Boissonadius*, Parisinus, iterum jam edendis et perbene explanandis poëtis bucolicis clarus; ut permulta alia ejus opera laude digna silentio praetercam.

[3]) In repertor. Lips. an. 1810.

innumeris, quae Tu, dignissime senex, in me contulisti, officiis ac beneficiis quoniam gratias justas Tibi vivo ne agere quidem, nedum referre potui: gratam saltem eorum in imo pectore memoriam nulla unquam delebit oblivio.

Parisiis redux Gymnasii Friburgensis, cujus professoribus tunc adscriptus fui, nomine programmatis loco publicavi

„*Observationes ad Theocriti pharmaceutriam sive Idyl-*
„*lum secundum,* quibus, praeter scholia et lectiones
„varias codicis Parisini (Coislin., n. 169.) inest lon-
„gior de Hecates nomine, officio atque cultu excur-
„sus. — Typis Friderici Wagner. MDCCCXXVIII."

Quod opusculum qualecunque non modo in Germania, verum etiam ultra patriae meae fines haud paucos, eosque in republica literaria antesignanos viros, Musae meae conciliavit amicos, quippe quod et ab doctissimis viris, *Baehrio, Seebodio,* [1]) aliis, publice collaudaretur, et a praeclaris Theocriti interpretibus atque editoribus, *Ameisio Wuestemannoque*, in ipsorum operibus, ad poëtam nostrum spectantibus, honoris causa memoraretur, imo vero etiam excerperetur. [2])

Praeterea eodem fere tempore historica quoque scriptio, quam defendendi M. Tullii Ciceronis causa edideram, [3]) nume-

---

[1]) Vid. Ephemeris, quae inscribitur „Neues Archiv für Philologie und Paedagogik, herausgegeben von Dr. G. Seebode. Vierter Jahrgang, Mai 1829, Nr. 22."

[2]) *Wuestemann*, in eadem, quam supra laudavi, Theocriti editione Frid. Jacobsio sacra, p. 30, ubi de Idyllio II., agit, haec habet:

„His diebus affertur mihi programma Friburgense anni 1828, quod „*F. Weissgerberi* ad hoc idyllium observationes continet et longiorem „de Hecates nomine, officio atque cultu excursum. *Ex hoc libello,* „*quae nobis profutura viderentur*, *excerpsimus;* omnia vero ac singula „pro instituti nostri ratione recensere nobis non licuit." [Cf. p. 8. n. 3.]

[3]) Inscribitur: „Ehrenrettung des M. T. Cicero, als Bürgers und Staatsmannes etc. Freiburg, bei Herder, 1828." („Th. I. der Schriften der histor. Gesellschaft zu Freiburg i. B.")

rosa eaque illustrium virorum habuit suffragia. *Heerenius* enim, ut exemplum afferam, clarissimus tunc historicus Gottingensis, multa laude eam publice ornavit; [1]) item doctissimus *Schirlitzius,* qui in praeclaro libro suo, qui inscribitur „Vorschule zu Cicero," non solum innumeris locis eam laudibus extulit atque excerpsit, sed etiam *meis armis* ad oppugnandum acerrimum nunc doctissimumque Ciceronis reique popularis Romanae inimicum, *Drumannum,* Gottingensem, uti consultum putavit; [2]) ut taceam, praeter alios, clarissimum *C. Orellium,* Turicensem, qui in critica sua Ciceronis operum editione (tom. VI., p. 474.) inter „scripta Ciceronem illustrantia" istud meum opusculum et praeterea aliud, „Ciceronianae lectionis specimina e Cod. Constantiensi desumpta" exhibens, honorifice commemoravit.

Tot faustis igitur gravibusque de opusculis meis, praesertim Theocriteis, judiciis fultus stipatusque adii nonnullos librarios in hisce terris aetatem degentes, sperans fore ut Theocriti editionem, a me curandam notisque exornandam, typis suis sumptibus mandare haud gravarentur.

At quantopere spes blandula ista me fefellit!

Homines enim isti, mirum in modum providi rebusque domesticis quam diligentissime consulentes, meas, hominis obscuri et aut obtuso aut perverso forsitan ingenio pertenuique doctrina instructi, lucubratiunculas de poëta, quo facile, ut ipsi carebant, sic et ceteros carere posse arbitrarentur, typis exscribendas suscipere recusarunt, verentes, ne, quum nimis multae istius viri Syracusani editiones jam exstarent, novam si suscepissent, detrimenti quid caperet lar familiaris.

---

[1]) In ephemeridibus Gottingensibus (Dec. ann. 1824. Num. 195) eam ita commendavit, ut laudem his finierit verbis: „Wir sind mit grösstem Interesse dem Verfasser gefolgt, und theilen seine Ansichten."

[2]) In libro laudato (p. 420). Schirlitzius haec scripsit:

„*Weissgerber* in dem angeführten Versuche einer Ehrenrettung Cicero's „macht 364 flg. eine Bemerkung, mit welcher wir das Kapitel über „Cicero im Kampfe mit seinen Gegnern glauben am besten beendigen „zu können." [Nunc sequitur locus e libro meo desumptus.]

Ex istis autem librariis unus justam excusationem hanc habuit, omnes suos typographos in *Castrobriandii* operibus, in vernaculum sermonem nostrum translatis, nec non Ephemeride politica (clarissima, ab Danubii fontibus ad Nicri ostia, ab Rheni litore ad montes Hercynios usque nemini fere ignota) typis exscribenda satis superque occupatos teneri. Alteri eorum autem, quod ipse aperte mihi et coram declaravit, persuasum erat, „sibi *graviora* opera, qualia essent *C. Schmidti Rosa a Tannenburg*, *corbis florum, ova paschalia*[1]) et prae ceteris omnibus *Stolbergii,* beati comitis ad salutis fontem reversi, *Historia Ecclesiae Christianae* aliaque id genus scripta, prelo excudenda esse. Ejusmodi enim opera, quae in linguam gallicam conversa, sanctissimae illius congregationis, Jesum in primis colentis (quae — num ad majorem Dei gloriam? — duodecimi saeculi caliginem, barbariem, superstitionem, odia, bella tunc apud vicinos nostros revocare pro virili conabatur!) nutu atque auxilio Francogallis pro saluberrima animarum, abhinc quater denos fere annos corruptarum atque perversarum, medicina offerri possent, quaeque librariis ita non minorem fructum, quam lecturis salutem ferre pollicerentur, humano generi certe multo utiliora ideoque, ut typis exprimerentur, longe digniora esse, quam miseros istos carminum fictores, qui ab Homero primo ad ultimum usque fame ipsi periissent, itemque sui[2]) cultores qualescunque ad unum fere omnes fame laborare paterentur."

En librariorum, qui nostrorum fluminum undas bibunt, sanum ratiocinandi modum frugiferamque profecto philosophiam! In hos cadere mihi videntur, quae cecinit ipse Noster (Idyll. XVI, 15 sqq.):

— — — νενίκηνται δ' ὑπὸ κερδέων.
Πᾶς δ' ὑπὸ κόλπου χεῖρας ἔχων πόθεν αὔξεται ἀθρεῖ

---

[1]) Interprete *Schellero* in lex. s. v. — Barbarum sane vocabulum; at juvat ipse hoc loco barbarismus!

[2]) Cf. Cic. Att. 9, 16. Fam. 10, 6. et Ramshorn. Gr. L. §. 157. 2. not. 2. c.

Ἄργυρον, οὐδέ κεν ἰὸν ἀποτρίψας τινὶ δοίη,
Ἀλλ' εὐθὺς μυθεῖται, ἀπωτέρω ἢ γόνυ κνήμα·
Αὐτῷ μοί τι γένοιτο· θεοὶ τιμῶσιν ἀοιδούς·
Τίς δέ κεν ἄλλου ἀκούσαι; ἅλις πάντεσσιν Ὅμηρος·
Οὗτος ἀοιδῶν λῷστος, ὃς ἐξ ἐμοῦ οἴσεται οὐδέν.

(Ex recens. Ameisii.)

Hisce rebus igitur constrictus atque impeditus commentariorum, quos in Theocritum conscripsi, longe maximam partem scrinio repositam servavi. Attamen ne promissam ab me hujus suavissimi poëtae editionem, ad quam conficiendam complures me benigni speciminum meorum judices in ephemeridibus publicis humanissime invitarant, in Kalendas Graecas viderer distulisse: honori meo, quantum tunc poteram, cousulturus, XV[tum] divini vatis idyllium, meis sumptibus excusum, proferre decrevi. Namque dulci specula ductus tunc atque oblectatus fui, ita fore ut librarius aliquis Transmoenanus forsitan, hisce nostratibus, quos notavi, liberalior, cognita ista opella, egenae prolis meae Theocriteae, in aspectum lucemque tandem aliquando prodire cupientis, misereretur atque impediret, ne eadem illa proles, quae ex scrinio illo, ubi ad id tempus latebat (et nunc latet), caput pauxillulum jam laeta protendebat, repulsam ferret, pudoreque suffusa in lugubrem pristinam sedem se recipere ibique tetris in aeternum, pro dolor! involuta atque occultata tenebris latere cogeretur.

En ea, quae octodecim fere abhinc annis hac de re et sensi et feci; quomodo vero meum Idyllii XV[ti] edendi consilium tunc ad irritum ceciderit, remque nunc retractandam esse censuerim, supra jam exposui. (pag. 2. not. 1.)

At laetior nunc mihi illuxit dies, quum ad commentarios meos publici juris faciendos non modo apud populares nostros, sed etiam Parisiis mihi oblata videatur occasio. Est enim, quod mihi persuadeam, *Firmin-Didot fratres*, librarios venditores Parisinos longe celebratissimos, qui nuper ea, quae ego de Theocrito scripsi, sibi postularunt, si qua Theocritea ipsis prelo excudenda of-

ferrem, haud esse recusaturos, praesertim quum *Ameisius* V. C., qui (cum *Lehrsio* utroque *Duebneroque* VV. CC.) nuper (a. 1846) bucolicos poëtas aliosque apud illos librarios edidit, in ipsa illa sua splendida editione ad Idyll. I. v. 106 de mea ejusdem hujus idyllii versione (metrica), quam, Gymnasii Offonisburgensis tunc rector, ante hos quinque annos Ulmensi philologorum congressui dedicavi, [1]) perquam honorifice judicarit, [2]) idemque in *Jahnii Klotziique* Ephemeridibus (a. 1845, fasc. I. pagg. 101 sqq.) tam benigne quam vehementer me admonuerit, ut tandem aliquando ea omnia, quae de Theocrito ex codicibus Parisinis excussissem, rei literariae ipsius causa publici juris facerem. [3]) Quodque *Ameisio* ratum, mihi gratum est omnino; hunc enim Virum inter poëtae nostri interpretes inprimis colo, amo, observo. Quum vero inde ab illo tempore, quo omnia Syracusani vatis carmina edere animum induxeram, tres jam novae eaeque bonae Theocriti editiones in Germania (*Wuestemanniana*, *Meinekiana*, eaque repetita et *Ziegleriana*) et duae item praestantes

---

1) „*Theokrit's I. Idyll* (nach Meineke's Ausgabe) metrisch übersetzt und der Philologen-Versammlung im Jahr 1842 als *Festgruss* gewidmet von *F. Weissgerber*, Director des Gymnasiums zu Offenburg. Gedr. bei J. Otteni zu Offenburg. 1842."

2) *Ameisii* verba (praefat. p. VII.) haec sunt: „De sensu totius loci [intellectu satis difficilis] exposui in *Fuhrii* et *Zimmerm.* Ephem. ann. 1842. p. 202. — Mecum facit *F. Weissgerber* in Germanica hujus carminis interpretatione Offenburgi a. 1842 edita p. 8."

3) Praeter alia ibid. haec monuit Ameisius:
„Was die beigegebenen Anmerkungen betrifft, so erhellt daraus, dass „Hr. *Weissgerber* seit dem Erscheinen seiner „*Observationes ad Pharmaceutriam*, 1828," die viel Gutes enthalten und von *Wuestemann* „bereits benutzt sind, fortwährend mit der Literatur dieses Dichters „vertraut geblieben ist. — — — — Endlich spricht Hr. W. hier, „wie in den oben erwähnten *Observ. ad Pharm.*, von *zwei Pariser* „*Handschriften*, die er verglichen habe. Möchte doch *Hr. W. die* „*vollständige Collation derselben*, so wie Das, *was er ausserdem erläutern zu wollen versprochen hat*, *recht bald im Interesse der Sache* „*den Freunden der Bukoliker mittheilen!*"

in Gallia (*Boissonadiana*, repetita, et *Ameisiana*) prodierint; jam non tam de cunctis poëtae nostri carminibus uno eodemque tempore edendis, quam de singulis illius idylliis iisque laudatissimis denuo recensendis commentandisque cogitabo. Denique haud alienum erit, observare, me de hoc idyllio, Adoniazusis nempe, *tot codices et manu scriptos et typis expressos diligenter contulisse, quot ante me ipse inspexerit contuleritque editorum interpretumque unus nemo;* quod virorum doctorum nullus infitiabitur, qui librorum a me adhibitorum animadverterit catalogum. Inter quos libros memoratu perquam digni sunt duo, quippe editio Parisina, quae apud Aegidium Gourmont circa annum 1510, curante Celso Hugone, Aleandro (Cardinali) dicata, prodiit, editorum nemini, quod incredibile fere dictu est, hucusque memorata, quae forte fortuna in meas manus venit; deinde editio *Moreliana*, Parisiis a. 1561 apud Guil. Morel. typographum regium excusa, „*cui libro* (adnotante J. Graevio, qui istud exemplar olim possedit) *multa manu sua* Is. Casaubonus *adscripsit*," quae suo quidque loco communicabimus cum nostro lectore.

Scripsi Rastadii III. Id. Sept. MDCCCXLVII.

F. W.

PROLEGOMENA.

De XV. idyllii indole deque locorum quorumdam difficiliorum explanatione.

Non dubito, fore multos, qui mirentur, quod ego ad tertium commentationis meae specimen edendum hoc idem elegerim idyllium, de quo in primis, ceteros ut taceam explanatores, summus Valckenarius, qui omnibus ante se graecorum scriptorum interpretibus palmam eripuit, et post illum doctissimus atque humanissimus *Spohnius,* sensu, ut ita dicam vere Theocriteo, uti pauci alii, praeditus, nimis cito, eheu! Musarum sacerdotio ereptus, deinde heros ille *G. Hermannus* aliique permulti, quos ad singulos locos nominabo, justis voluminibus jam disseruerunt. Ego vero hac re omnino de proposito meo non possum deterreri. Quanquam enim de suavissimo idyllio, quod, ut quidem mihi videtur, in perfectissimis praestantissimisque Theocriti poëmatis debet numerari, et, Valckenario si fidem tribuamus, omnibus anteferri, clarissimi viri jam permulta, eaque, ut ab hominibus et acerrimo ingenio et sensus subtilitate et admirabili doctrinae copia instructis licet nobis exspectare, omni ratione plurimi facienda summeque commendanda in lucem protulerunt: tamen et me quum ad textum aut stabiliendum aut emendandum, tum ad aliorum de locis difficilioribus opiniones aut probandas magis ac fulciendas aut impugnandas ac refellendas, tum denique ad doricam dialectum magis magisque

eruendam, cognoscendam, firmandam ex codicibus, quos pervolutavi, nonnulla, quae legantur, non indigna allaturum, et post felicissimam largissimamque messem, quam in laetissimo uberrimoque hoc arvo summi viri jam fecerunt, spicilegium forsitan non infaustum habiturum esse, audeo sperare.

Antequam autem ad ipsius idyllii explanationem aggrediar, primum de genuino vocum in primis versibus ordine ac distributione, quae jam tantopere, tam varie et ab tantis viris sollicitata est, dein de aliis quibusdam locis explicatu difficilioribus, de quibus plura habeo dicere, quam quae satis commode textui suo loco subjici possint, pluribus mihi fas sit disputare.

Codices mei veterem personarum, hujus idyllii initio inter se colloquentium, ordinem, quem principes edd. (inter quas et Gourmontensis mea sive Parisina est) itemque Reiskiana servarunt, prorsus confirmant, eique igitur, quem genuinum declarare in textumque recipere summo placuit *Valckenario*, quemque inde ab Illo recentiores editores ad *Ameisium* V. C. usque, *Harlesium Dahliumque* (ed. Lips. 1804) si exceperis, secuti sunt omnes, omnino adversantur.

In antiquiss. codice n. 2831 (quem lit. A. sum notaturus), post Ἔνδοῖ Πραξινόα; monogramma (*θῦ*), minio pictum, exstat, quod *θεράπαιναν* denotat, cui (*θεραπαίνῃ*) verba, *Γοργοῖ* — — *ἔνδοῖ* tribuuntur. Sequentia demum: *Θαῦμ' ὅτι* — — — *ποτίκρανον*, ab Praxinoa proferuntur; illud *Ἔχει κάλλιστα* Eunoae (*θεραπαίνῃ*) iterum adjudicatur; *Καθίσδευ* autem (sic codices mei, et id contra Valckenarii sententiam) Praxinoae. Posthac ista *θεράπαινα* non jam apparet. Codex Coislinianus n. 169 (quem litera C deinceps designabo) curiosissime, quod a limine praefationis meae jam monui, exaratus, eandem omnino verborum distributionem exhibet, ita tamen ut istud monogramma accuratius ibi clariusque sit expressum.

Haecce primorum versuum incisio ac distributio, omnibus vett. edd. comprobata, mirum quantum mihi arridet, qua de causa paucis eam explanare ac defendere conabor. Advenit Gorgo, Praxinoae amica, et ex ancilla (Eunoam, vv. 2. 27. 68.

76. memoratam, hanc ancillam esse, primus putavit *H. Stephanus*) in limine primo sibi obvia, quaerit, *num domi (intus) sit domina* (Prax. scil.). — Ancilla postquam admirationem suam de Gorgonis adventu suavissimo diutiusque exspectato his verbis, *Γοργὼ* [sic codd. mei et edd. vett.] *φίλα, ὡς χρόνῳ*; significavit: dominam *intus esse* respondet. Praxinoa autem, Gorgus, amicae, vocem, ex diutina consuetudine optime sibi notam, intus in domo audiens, sine mora celerrimeque foras se promit, amicam exceptura; cui ut primum occurrit, stupens nec non gaudio affecta acclamat: *mirum, et nunc tandem te adesse!* [subaudi: *„te enim nunquam amplius ad me venturam esse, e diuturna absentia tua coeperam suspicari."*] Interea in conclave intrarunt, ubi Eunoa, ancilla, postquam curiosissime et quam poterat, optime sedem adaptavit, ad dominam hospitemque simul ejus amicam conversa: *Optime,* inquit, *se habet* [res scil.; *„omnia praesto,"* liberius, at ex sensu vertit *Zamagna,* Italus]. Deinceps, ubi omnia, quae necessitas flagitaret, ab ancilla apparata sunt, Praxinoa domina admonet amicam: *Jam sedeas!* Simul ac sedi incubuit Gorgo, incipit narrare, quaecunque in itinere (ab domicilio suo ad hanc Praxinoae domum usque) mira molestaque sibi evenerint.

Posthac (inde ab v. 11—21) ad aliam colloquendi materiam, maritos scilicet dijudicandos carpendosque, more solito transeunt mulierculae, donec tandem aliquando Gorgo admonet amicam, *eundi tempus esse* (v. 26) etc. Hoc modo, quod ego quidem opinor, ex voto cedunt omnia, sensusque placidissimus e primoribus istis versibus nobis provenit. Si cui forte verba ista, *Γοργὼ φίλα, ὡς χρόνῳ*; ab *ancilla* ad *herae suae amicam* liberius licentiusque dicta videantur: is velit reputare, mulierum, quae tam mediocri, quam istae nostrae, conditione utuntur, ancillas, quod ad auctoritatem dignitatemque adtinet, haudquaquam tantopere ab dominabus distare, ut non, praesertim si per diuturnum jam tempus familiae sunt adscriptae fidoque servitio de ea bene meritae, tale quid ad ipsam dominam ejusve amicam aliquam passim audeant proferre, servilis suae condi-

tionis in tempus quodammodo obliviscentes. — Hortibonus i. e. Casaubonus (illud enim nomen in prima commentariorum suorum editione, quam formae XII^{mae} in bibliotheca regia inveni, ipse sibi imposuit) cap. XII. p. 396 observat, si non Eunoae, sed Gorgoni verba ista, *Ἔχει κάλλιστα*, tribuantur, tum ea idem significare atque illud Aristophanicum, *καλῶς* et Horatianum, *benigne*, quod utrumque adhiberi affirmát, quando oblato beneficio non utentes [at vero hoc loco utitur Gorgo! W.] gratias agamus.

Horatii locus hic est:

Mirari secum tacitus: quid multa? Benigne, Respondet.

Et alius: — — *at tu quantumvis tolle! — Benigne!* „Idem omnino (pergit Casaubonus) atque Horatianum *benigne* sibi vult Terentii *recte;* locus hic est: *Rogo, numquid velit? Recte, inquit, abeo.*" — Haecce Casaubonus; ceterum ancillaene an Gorgoni illa verba jure tribuantur, in medio relinquit V. D.

In lingua vernacula nostra eadem fere saepenumero audire me memini, *„schön!"* *„gütig!"* *„gefällig!"* aliaque similia, quibus gratias acturi tum utimur, quum quis gratum quid nobis aut fecit, aut dedit obtulitve, aut denique laborem qualemcunque in rem nostram vel jam suscepit, vel suscepturum se declaravit. Sagacissimam quidem esse illam cl. Casauboni explanationem, omnino non negarim; quamquam minus eam possum comprobare. Quod locos ad explanandum atque interpretandum difficiliores spectat, equidem non sine justa ratione versum 25, ab tot tantisque viris sollicitatum, quo facile nos carere posse, quemque delendum potius quam explicandum esse, temere ac desperans quasi observat *Brunckius* (vid. not. Valck. et Jo. Aug. Jacobs in not. supplem. p. 422), et illud *ἐρειοὶ* s. *ἐριοὶ* (sic codd. mei Parisini, v. 50.), ab variis tam varie aut tentatum aut explicatum, tractandum prae ceteris ac defendendum optimo jure mihi videor elegisse.

Versum istum autem Editio Aldina (quam cum *Moreliana,* a. 1561 Parisiis excusa, et *Octavii Cleophili Phanensis* „Libello de coetu poëtarum," qui idem Parisiis a. 1503, apud „*Jehan*

Petit,“ prodiit, ex bibliotheca Heidelbergensi benigne mihi misit Ch. Baehrius. V. C.) itemque Parisina Gourmontensis, sic exhibet:

Ὧν εἶδες, χὤν εἶπας ἰδοῖσα τὺ τῷ μὴ ἰδόντι·

Haecce istius versus forma in edd. vett., Wecheliana (Paris. a. 1543), Camerariana (a. 1530), utraque Brubacensi (a. 1545 et 1558), Moreliana (Paris, a. 1561), Commeliana (a. 1603, ed. ab D. Heinsio), Vignonensi (a. 1620), Glasguensi (a. 1746, quae ex Commeliana est hausta), Reiskiana; itemque in recentioribus omnibus *ad Gaisfordianam usque nihil est immutatum,* praeterquam quod Morelius, Valckenarius et Gailius (in priori sua editione, nam in altera omisit) post *εἶπας comma* addiderunt, quod seriorum editorum nonnulli, ut *Kiesslingus* (a. 1819), Gaisfordius, Jo. Aug. *Jacobsius* (in praestantissima editione, quae Halae prodiit a. 1824), servarunt, alii, ut Wuestemannus (a. 1830), Boissonadius, Zieglerus (a. 1844) spreverunt. Gaisfordius, nisi fallor, primus *ἴδες*, pro *εἶδες*, admisit, quod ex codicibus desumptum, Gregorio Grammatico §. 134 et denique summo Godofredo Hermanno probatum (vid. Ziegleri notam ad h. v.) Meinekius recepit, textum, nonnullis, quos denotat Zieglerus, codicibus annuentibus, ita immutans:

Ὧν ἴδες ὧν εἶπας καὶ ἰδοῖσα τὺ τῷ μὴ ἰδόντι.

Quam hujus versus formam Zieglerus quoque exhibet, ita tamen ut pro *εἶπας* scripserit *εἶπες*, adnotans, „codices pro *εἶπας* tenere aoristum sec. *εἶπες*;“ qua in re erravit, quum Parisini codices, quos equidem contuli, A et C nempe, praebeant *εἶπας*.

In cod. Parisino meo A versus iste sic exhibetur:

Ὧν ἴδες· χὤν εἶπας· ἰ. τ. τ. μ. ἰ. (Quam scriptionem secutus est Gaisford.)

In cod. meo C *εἶδες* et pro utroque puncto medio *comma* apparet.

Non est quod moneam, illud *ἴδες* (◡ —) metro non satisfacere, quum, servato *χ'*, spondeus (*εἶδες χ'*) non iambus (*ἴδες*) poscatur. At vero quod ad interpunctionem attinet, notatu dignis-

sima est ista et, quod non ingratum erit clarissimo *E. Kaerchero,* confirmat omnino eam ipsam hujus loci interpretationem, quam doctissimus hic vir nuper in praef. Germanicae Idyllii XI^mi versionis [1] (ab *Jahnio* in Ephemeride philol. multa laude ornatae) proposuit; de qua dicemus, postquam nostram de hoc loco sententiam, ex iis, quae ante hos XVIII fere annos *pro Manuscripto,* q. v., typis exscribenda curavimus, repetitam exposuerimus. Est autem haecce sententia nostra.

Wassenbergii correctio: — — *εἴπαις ἂν ἰδοῖσά τι τῷ μὴ ἰδοίσᾳ,* ejus mancam gr. linguae scientiam nimis prodit; de qua re vid. not. meam ad textum. — Supra *ἰδόντι* in eodem codice meo A est scriptum pro interpretamento: *λέγοις δηλονότι (narres scilicet);* ellipsi enim utitur Praxinoa, nimia sciendi cupiditate ad festinationem praecisionemque verborum impulsa. In codice autem nostro Coisl. C versus sic se habet: *Ὧν εἶδες, χ' ὧν εἶπας, ἰδοῖσα τὺ τῷ μὴ ἰδόντι.* Hanc scriptionem, quam veteres fere omnes edd. exhibent, optimam genuinamque ego quidem esse arbitror.

Toupii conjectura in Addendis in Theocritum p. 398. B, quamvis summo Batavo probata, utpote audacior rejicienda mihi videtur; est autem haec:

Ὧν ἴδες ὧν [i. e. *ὃν*], *εἴπαις ἂν ἰδοῖσα τὺ τῷ μὴ ἰδόντι.*

Adversatur eidem scholion quoque illud, quod ex cod. A supra attuli; nam si *εἴπαις,* nec vero *εἶπας,* esset legendum, illa scholiastae annotatio, *λέγοις δηλονότι,* omnino nullius pretii, imo male sanae mentis proles esset habenda. Item Brunckii conjecturam: *ὧν ἴδες, ὧν εἴπαις ἂν ἰδ. κτλ.* quam in annotatt. ita interpretatur: *ὅσσ' ἂν ἴδοις, εἴπαις κεν ἰδοῖσα τὺ τῷ μὴ ἰδ.,* quamvis sagacissima et planissimum sensum, ipsumque eum, quem equidem requiro, offerens mihi videatur: ut praeter

---

[1] „*Theokrit's eilftes Idyll,* als Probe einer Verdeutschung seiner sämmtlichen Idyllen, nebst Behandlung zweier Stellen des 25. Idylls im Vorworte. Der Philologen-Versammlung in Darmstadt gewidmet, von *E. Kärcher.* Carlsruhe, G. Braun'sche Hofbuchhandlung. 1845."

necessitatem factam, improbandam censeo ac respuendam. Praeter necessitatem factam eo dico, quod textu, quem exhibent libri MSS., prorsus intacto, idem fere, quam quem requirit Brunckius, sensus percipitur. Postquam enim Gorgo dixit vv. 23 et 24, se fando audisse, *perquam pulchras res ad festum Adonidis rite celebrandum ab regina parari;* Praxinoa, admiratione magnificarum illarum, quas quamquam non oculis viderat, ipsa sibi animo tamen satis clare vividisque coloribus fingeret ac repraesentaret, abrepta exclamat, illud, quod Graecis hominibus sine dubio in proverbio erat: *ἐν ὀλβίω ὄλβια πάντα (in aedibus opulenti opulenta omnia)!* Deinde eadem *suspicans*, amicam suam forsitan non *audisse* tantum, verum etiam *vidisse* illum in aula regia apparatum aut omnem aut aliqua ex parte saltem, sciendi cupiditate, ut solent mulierculae, inflammata atque impulsa blandis verbis Gorgonem hortatur atque orat (v. 25), *ut de istis rebus, quas ipsa vidisset, quarumque mentionem* (paulo ante) *fecisset, sibi, quae earum omnium prorsus nihil spectasset, aliquid velit narrare.* Gorgo autem, verita fortasse, ne diutius si morarentur, sero venirent (quod tamen accidisse, docent vv. 65—67), Praxinoae curiositati satisfacere gravatur, interrupto ejus sermone admonens (v. 26), *tempus esse eundi,* simulque carpens amicae segnitiem ac desidiam, adjunctis verbis: *Otiosis* [*ignavis* malim nunc] *semper feriae sunt!* At, inquiet aliquis, non extemplo, postquam Gorgo monuit Praxinoam, *tempus abeundi adesse* (v. 26), abierunt mulieres; sed Praxinoa ante, quam domo exeunt, Eunoam aquam (ad manus certe lavandas) jubet adportare (v. 27); tum felibus (sine dubio valde caris), ut molliter eae cubent, lectulum sternere (v. 28); [1]) denique clavem magnae cistae afferre (ut, quod facere solent uxores, de re

---

[1]) De hoc loco quoque E. Kaercherus in libell. laud. p. 7—10 optime et in hanc quidem sententiam disserit, ut illud νᾶμα vv. 27 et 30 dorice pro νῆμα sit adhibitum: „Somit glaube ich, dass νᾶμα .... an beiden Stellen statt νῆμα = *Gewebe*, *Gespinnst* steht [consensit Rostius in lex. Homerico s. v. W.] und *Handtuch* bedeutet etc." (Verba ipsius Kaercheri.)

domestica sollicitae, secum auferat eam); quae res et ipsa aliquamdiu eas remoratur; posthac satis diu (ab. v. 34—39) de Praxinoae vestimentis mulieres more solito garriunt ambae, donec Praxinoa, pallio denique et umbella, vestimentorum ultimis, induta (omnia enim illa ab. v. 21—39, dum vestiebat se atque ornabat Praxinoa, ab mulierculis nostris et dicta et facta esse, mihi quidem persuasissimum est), postquam Zopyrioni filiolo aliqua verba dixit (vv. 40 et 41), persuasura ei consultius esse domi remanere, quam in tantam plebis turbam aulae regiae circumfusam, ubi claudus fieri posset, prodire, et postquam ad extremum Phrygiae ancillae filium domumque commendavit, tandem aliquando Gorgoni acclamat (v. 42): *Eamus!* Haec omnia satis superque demonstrant, tempus non magnopere ursisse mulieres nostras, neque habuisse Gorgonem, quod ea, quae de regio apparatu ipsi cognita aut comperta essent, narrare roganti gravaretur amicae, excusatione hac utens (v. 26), *Tempus narrandi sibi deesse, quum abeundi hora advenisset.* — Vera quidem haecce omnia sunt, et justo diutius sane ambae, tam Gorgo, quae monuerat, quam Praxinoa, quae commonefacta erat, *tempus adesse eundi,* posthac sunt moratae, quum nova garriendi materia, quam posset gratissima, Praxinoae sc. vestimentum (v. 34), sese offerret. Nonne autem multo diutius essent moratae et festum aut omne forsitan, aut magna certe ex parte neglexissent, si Gorgo, amicae precibus inducta, ea quae de apparatu, ab regina in Adonidis honorem facto, ipsi nota essent [1]), coepisset enarrare? Prudenter igitur cavit Gorgo, ne Praxinoae curiositati, quam longiore ex consuetudine satis superque sine dubio perspectam cognitamque habebat, praeter ceteras inevitabiles, hanc quoque tam uberem, tam largam admirandi, dubitandi, sciscitandi variisque ita nominibus abitum remorandi, materiam occasionemque praeberet.

En meam difficillimi hujus loci interpretationem atque ex-

---

[1]) Scil. quae *fando* audisset, si non ipsa vidisset.

planationem, quae haud mediocriter scholio illo, quod ex codice A supra allatum est, firmari mihi videtur. Genitivi isti ὧν (εἶδες) et χ᾽ ὧν (εἶπας), qui, Brunckio, viro ceterum perdocto, et, quod valde miror, ipsi Valckenario tam inexplicabiles videbantur, ut vel linguae graecae legibus obsistere eos, ausi sint affirmare, a figura grammatica, *attractionem* quam vocant, orti sunt; quam si sustuleris, et ea, quae (ἐλλειπτικῶς) omissa sunt [1]), addideris, verborum collocatio, legi grammaticae adaptata, haec erit: *τούτων ἅ εἶδες, καὶ τούτων ἅ εἶπας, σὺ ἰδοῦσα τῷ μὴ ἰδόντι λέγε τι, Eorum, quae (forte) vidisti, eorumque de quibus locuta es* (i. e. mentionem fecisti), *tu, quae vidisti, alii cuipiam, qui nil vidit* (i. e. mihi), *aliquid referas velim.*

Non item, atque ego, eundem locum explicare tentat Kiesslingus, Theocriti editor atque interpres plurima laude dignus, quippe cui persuasum sit Gorgonem jam prioribus annis pompam istam vidisse, et hac de causa ut ea, quae olim vidisset, enarraret, ab Praxinoe fuisse oratam (v. 25). Reliqua Kiesslingi explanatio ab mea parum, si non nihil, differt. Idem V. D. cum scholiasta vulgato post ἰδόντι per ellipsin διηγήσαιο, quod idem est ac meum λέγοις in cod. A, omissum arbitratur; itaque, mecum conspirans, de textu nihil censet immutandum. Vetus annotator quoque edit. Basil. versui 25 adscripsit: scilicet εἰπέ.

Harlesius autem aliter omnino idque, quod mihi quidem persuasissimum est, perperam hunc locum explicat, quum participium ἰδοῖσα, quod sine dubio tanquam appositio ad omissum λέγοις (σύ scil.) vel διηγήσαιο est referendum *(tu conspicata narres, quaeso, ea quae forsitan vidisti)* ad antecedens verbum εἶπας contra Theocriti certe sententiam refert et ita vertit: „*Tu vero quum jam vidisses pompam, ea quae vidisti et quae te vidisse dixisti, mihi* (τῷ universaliter ex communi loquendi

---

[1]) De ellipsi vide (praeter Buttm. gr. gr. §. 138) d'Orvillium ad Chariton. p. 355, ubi de omisso verbo, substantivo aut adverbio, imo integro periodi membro aut e vicino repetendo, aut supplendo et addendo uberius disserit V. D.

ratione) *ea nondum videnti narra.*" Improbavit hanc interpretationem jam J. B. Gail in notis suis, nec vero ita, ut debuit improbare. Ubinam, quaeso, *se pompam vidisse,* dixit Gorgo? Locuta quidem est de pompa, seu mentionem fecit pompae illius, quam eo ipso tempore ad Adonidis festum celebrandum in regis aula parare dicebatur regina; at *se vidisse istam pompam,* ne verbo quidem indicavit; hoc enim Praxinoa suspicata tantum est; et ex hac suspicione confestim optatio est enata, ut Gorgo ea, quae forte vidisset, benigne sibi enarraret. — Et, falsam istam explicationem si mittamus, quam parum latine, quam foede ac barbare, quod ad temporum modorumque usum attinet, vir bonus iste loquitur! Parum modo ei suboluisse videtur de illa Ciceronis [1]) lege, quae monet, *latine loquentibus nobis non solum videndum esse, ut verba efferamus ea, quae nemo jure reprehendat, sed etiam sic et casibus, et temporibus, et genere et numero ea esse conservanda, ut ne quid perturbatum ac discrepans aut praeposterum sit; ut non discerptis sententiis, non praeposteris temporibus, non confusis personis, non perturbato ordine dicamus ea, quae dicenda habeamus.* Parumque idem Harlesius ejusdem Tullii curare videtur edictum (Tusc. II., 4): *Si Grammaticum se professus quispiam barbare loquatur,... hoc turpior est, quod in eo ipso peccat, cujus profitetur scientiam.* Adolescentulus sane, e suprema Grammatices classe vix elapsus, necdum ad studia, quae vulgo dicuntur humaniora, aggressus, splendidissimum istum Doctorem, multorumque librorum editorem atque explanatorem edoceat, illud *vidisses* pro *videris,* illudque *videnti* pro *conspicatae* vel *quae vidi,* in illa verborum collocatione (sermo enim rectus est) omnino non esse ferenda; ut taceam, verbum *ἰδεῖν,* quod in textu ter tantum apparet, in praeclara ista Harlesii versione quater apparere. Turpiter igitur abeat magister cum versione sua! — Illud *ἰδοῖσα* non cum antecedente *εἶπας,* quod eidem

---

[1]) De or. III. 11 et 13.

isti Harlesio visum, sed cum insequenti, per ellipsin omisso, λέγοις (vel λέγε) esse jungendum, aeque atque ego sentit Gregor. Cor. pag. 693, qui quamquam contra metrum, versum 25 ita exhibet: ὧν ἴδες χ' ὧν εἶπας, καὶ ἰδοῖσα τὺ τῷ μὴ ἰδόντι.[1]) Si, quod per codices licet, tolleremus χ' ante alterum ὧν, tum καὶ esset ferendum.

Summus *Godofredus Hermannus*, ceteroquin de Theocrito restituendo atque explicando quam optime meritus, audacius, et maxima ex parte *contra codices et veteres editiones* rerum ordinem, quod ad versus 23—26 attinet, ita immutavit: [2])

ἀκούω χρῆμα καλόν τι
κοσμῆν τὰν βασίλισσαν. *Π.* ἐν ὀλβίῳ ὄλβια πάντα.
Γ. ὧν ἴδες, ὧν εἶπας και ἰδοῖσα τὺ τῷ μὴ ἰδόντι.
ἕρπειν ὥρα κ' εἴη. *Π.* ἀέργοις αἰὲν ἑορτά.

Addidit autem interpretationis causa haecce:

„Sicuti τόσον — τόσον pro ὅσον — τόσον et similia di„cunt poëtae Dorici, sic etiam ὅσον — ὅσον pro ὅσον — „τόσον, ut IV, 39:

„ὅσον αἶγες ἐμὶν φίλαι, ὅσσον ἀπέσβας.“ [„*Quantum* „caprae mihi (sunt) carae, *tantum* (tu mihi cara) obiisti.“ Ameisio interprete. W.]

„Hac familiari locutione Gorgo hic dicit, *quae vidisti, ea* „*potuisti narrare etiam ei qui non vidit.* [3]) Neque enim „opus ut codicum scriptura εἶπας καὶ in εἴπαις κεν mute-

---

[1]) Sic in vet. Corinth. editione, quam tum (a. 1828) adhibui, versus est scriptus; itidem fere, quod supra monui, in cod. Paris. meo A.

[2]) In celebratissima illa disputatione, quae inscribitur „*Scholae Theocriteae* Godofredi Hermanni,“ in Ephemerid. Zimmermann. („Allgemeine Schulzeitung“) a. MDCCCXXXII, num. 132—134.

[3]) Casaubonus (in ed. Morel.) in marg. adscripsit: „*Tu (narra) illi qui non vidit ea quae dicis te vidisse,*“ perperam ἰδοῖσαι cum antecedenti εἶπας jungens, quamquam in ipsa illa ed. Morel. (ut in codd. Parisinis meis) post εἶπας interpunctionis signum apparet, quod *non* delevit annotator ille doctissimus; aliis in locis ibidem nonnulla delevit ac refecit pro sua de istis rebus sententia.

„tur. Proverbii colorem habet indicativus praeteriti [*aoristi* „scil. W.] . . . Praxinoa quum respondet *ἀέργοις αἰὲν ἑορτά*, „in cujus proverbii explicatione haesitatum est, hoc signi-„ficat, non se ita vacuam esse ut Gorgonem, sed valde „occupatam rei domesticae et pueri cura."

Quis ausit negare, hancce, Hermanno excogitatam, partium distributionem non modo, quod ad sensum attineat, defendi posse, imo vero etiam esse ingeniosam? At ipsi genio suo praeclaro ac fere divino hac in re, ut alias promiscue in critica facienda, nimium indulsisse mihi quidem videtur summus ille vir, quum non modo in meis codd. Parisinis, sed, quod quidem ex editionibus criticis, quae mihi ad manum sunt (inter eas novissimae quoque, Jacobsiana, Boissonad., Ziegler., Ameis.) desumi potest, in *ne uno quidem codice MS.* et in *ne una quidem* veteri editione talis distributio versuum appareat. Et quis homo doctus ac sanae mentis infitias ierit, talem *partium distributionem* non minoris esse momenti, quam *ipsius textus verborum* immutationem? Quare non possum non mirari, quod non modo *Meinekius* (et quidem ne verbo quidem defensionis causa in notulis ed. 1836 addito) *Zieglerusque*, qui Hermannum producit auctorem, sed etiam *Ameisius*, cui aeque atque mihi ipsi (et probissimo antiquae ac scriptae veritatis defensori, Jo. A. Jacobsio, in ed. critica) est persuasum, CONTRA CODICES NIL ESSE TENTANDUM, [1]) non solum, ut in Bionis et Moschi ed. recte fecit *F. Jacobs*, textui subjecerunt, sed in textum receperunt prorsus immutatam illam rerum distributionem. Ameisius quoque, ut clariss. Meinekius, in notis criticis editionis Parisinae suae (pag. XV.) de hac immutatione *tacet omnino!* (Probavit ac defendit autem, idque sagacissime, in Jahn. et Klotz. Ephem. a. 1846, pp. 100—107, ubi

---

[1]) De hujus ipsius carminis versu 7, *ἑκαστοτέρω ἔμ᾽ ἀποικεῖς*, Ameisius in ed. Parisin. sua p. XIV. not. 1. observat: „*Non ausim omnium librorum scripturam mutare.*" — At *mutavit* idem vir doctus in loco, quem supra notavi, (hac sua religione, ut videtur, salva) *omnium librorum scripturam!*

Zetzschii, Doederlinii meaque opuscula Theocritea recensuit.) Occasione hac data annotavarim, in ed. Aldina, itemque in Parisina Gourmontensi, illud ἐν ὀλβίῳ (sic habent, quod doleo, pro ὀλβίω) ὄλβια πάντα Gorgoni assignari, inde ab v. 25 autem (ὧν εἶδες, χὤν εἶπας, ἰδοῖσα κτλ. dat utraque) Praxinoam incipere verba facere et pergere ad. v. 34 usque, ubi Gorgo Praxinoae vestem laudat fibulatam. Ante versum 25 in Ald. et, quae sequitur illam, Gourmontensi *Γ* litera (Gorgonem denotans) et in sequenti versu *Π* (Praxinoam significans) mihi videtur omissa. In serioribus edd. saltem omnibus, inde a Camerariana Iª (s. Haganoana a. 1530) usque ad Valckenarianam, neque hac excepta, versus 25 Gorgoni est adjudicatus idque, meo quidem arbitratu, recte. — Quod summus G. Hermannus, quod ad v. 25 spectat, de „familiari locutione" sive de „*proverbio*" cogitavit, fecit id praeeunte jam divo Frid. *Jacobsio*, cujus hoc de loco sententiam summa cum laude auctoris repetivit *Wuestemannus* (ad v. 25); est autem haecce:

„Vera videtur lectio, a Meinekio [in ed. a. 1825] in ordinem recepta; non tamen existimaverim, Praxinoam narrationem rei ab amica exspectare. Unde enim suspicetur, illam jam aliquid de festo vidisse? *Est potius* PROVERBIALIS LOCUTIO; *eundum est, ut ipsae rem videamus; de iis enim, quae ipse vidisti oculis, aliis, qui non viderunt, narres* [„*narres*" rectius in proverbiali locutione vertit, quam Hermannus „*potuisti narrare*." Vide supra.] — — — Ita simul intelligis, qui fit [?], ut masculinum genus τῷ μὴ ἰδόντι positum sit. Cf. annot. ad. Id. XI, 75."

At simile quid jam *J. B. Gailio* videtur suboluisse, quum in altera editionum suarum, splendidissima illa, [1]) quod ad *formam* attinet, Praxinoae responsum (inde ab „ἐν ολβίῳ ὄλβια πάντα" usque ad „τῷ μὴ ἰδοντι") ita (liberius certe!) transtulerit:

---

[1]) „Idylles de Théocrite trad. en français par *J. B. Gail*, prof. de littérature grecque au Collége de France, à Paris, l'an IV."

„Chez les riches tout est riche; et puis ce qu'on a vu quel plaisir de le raconter à ceux qui n'y étaient pas!" —

Zetzschius [1]) eodem fere modo atque ego (vid. supra) versum 25 interpretatus est; ipsa illius viri docti verba haec sunt:

„*Πρ. ἐν ὀλβίῳ ὄλβια πάντα.*
„*ὧν εἶδες χ' ὧν εἶπας, ἰδοῖσα τὺ τῷ μὴ ἰδόντι.*
„Praxinoae haec verba tribuenda esse apparet — — —
„Haec igitur dicit Praxinoa:
„*τούτων ἃ εἶδες καὶ ἃ εἶπας* [,] *ἰδοῖσα σὺ ἐμοὶ τῇ οὐκ*
„*ἰδούσῃ* — (Itaque) novam minitatur moram (Praxinoa),
„novos vult nectere sermones. Hos ut praecidat Gorgo,
„abeundum esse monet (*ἕρπειν ὥρα κ' εἴη*), nec monet
„tantum, sed, ut re et facto animum suum declaret, prius-
„quam absolvat Praxinoa [*Gorgo* per errorem scripsit] verba,
„*intercipiens sermonem in eorum locum, quae dictura illa*
„*est: φράζε τι*, infert: *ἕρπειν ὥρα κ' εἴη.* etc."

Ad quem locum observarim, scholion illud, in cod. Parisino meo A supra *ἰδόντι* scriptum, „*λέγοις δηλονότι*," *contra* Ameisium aperte, et *pro* me, M. Fuhrio V. C. Zetzschioque fortiter pugnare. (Vid. ea, quae Ameisius hac de re disseruit in Jahn. et Klotz. Ephem. a. 1846, p. 104, ubi Zetzschii de isto versu disputationem recensuit.) —

Wordsworth., novissimus Theocriti editor Anglus, G. Hermanni hujus loci interpretationem quamquam comprobans versum 25 tamen (praeter necessitatem) ita censuit immutandum:

ὧν ἴδες ὧν εἴποις κατιδοῖσα τὺ τῷ μὴ ἰδόντι. —

Boissonadius (in altera ed. a. 1837), quod miror ac doleo, de interpretando versu 25, qua forma in codicibus MSS. apparet, desperans

ὡς εἶδες χὡς εἶπες κτλ.

---

[1]) „Disput. de Theocriti Id. XV, 24. sqq. Scrips. *Joh. G. Zetzsche*, prof. Altenburg. 1843." (16 pagg.) Recens. Ameisius in Jahn. Ephem. a. 1845 p. 103 sqq.

in textum recepit, sine ulla fere dubitatione seductus *G. Hermanni* observatione (quam scripsit a. 1810. Vid. J. A. Jacobs. not. supplem. p. 433) hacce: „quum dicendum fuisset *τούτων εἶπάς κεν* [ita mihi quidem videtur legisse Scholiastes, qui adnotavit: *ἐκ τούτων διηγήσαιο ἄν.* W.], videtur vulgus hoc conformasse ad similitudinem talium, *ὡς ἴδον ὡς ἐμάνην.* Sophronis mimos si haberemus, saepius parum profutura esset grammatica." Cujus sententiae Hermannianae partem quidem retulit (in notis) Boissonadius his verbis: „Jam sententia stare videtur, *conformata ad formulam ὡς ἴδον, ὡς ἐμάνην.*"

Denique audiamus de male vexato hoc loco, interpretum cruce, praeclarum illum *λεξικόγραφον E. Kaercherum*, qui omnibus iis, qui in isto versu (25.) explanando de *proverbiali locutione* cogitarunt, palmam mihi videtur erepturus, non tam eo, quod *novam* ex illo elicuit sententiam, quam quod cognitam jam *novis* quibusdam iisque munitissimis corroboravit argumentis. Quod ad explicationem *καὶ conjunctionis in apodosi admittendae* attinet, insigni et rara qua est ingenii acie, *nova* omnino invenisse atque in lucem protulisse mihi videtur vir doctissimus (in disputatione, quam supra indicavi, pp. 6 et sq.). Ipsius verba, quod ad exponendum versus nostri *sensum* spectat, haec sunt: „Unsere theocritische Stelle würde also wörtlich lateinisch zu übersetzen sein: quorum tu aliquid vidisti, *atque* „eorum aliquid narrasti = narrare soles; oder im gemeinen „Deutsch: was einer gesehen hat, *und* davon kann er erzählen."

Quod ad firmandam hancce sententiam attinet, primo ad Homericum *καὶ τότε* et *τὲ*, in apodosi apparens (ut „Iliad 1, 218"), deinde ad Hebraicum ו saepius (ut „Genes. 13, 9. Psalm. 78, 34") itidem adhibitum, denique ad Romanum *atque*, eodem modo usitatum (ut „Plaut. Bacch. 2, 3, 45; Epid. 2, 2, 35. Most. 5, 1, 9. Cf. Cic. legg. 2, 4, ubi aliter leg. Orell.") nos mittit Kaercherus.

Huicce Kaercherianae interpretationi praecipue favet scriptio codicum meorum, quorum uterque post *εἶπας* interpunctionem, alter (C) comma, alter (A) vel *punctum* exhibet.

Haec hactenus de difficillimo hoc versu; quamquam vel *aliae* ejus interpretandi atque explanandi nunc temporis (nam quae supra exposui, ea, ut jam monui, ante nonnulla excogitavi lustra) mihi praesto sunt rationes; de qua re in nota versui 25 subjicienda paucis agam.

Ad alterum igitur locum, qui non minus, quam prior, vexavit interpretes, nunc progrediamur, *versum scilicet* 50, in quo quid sibi velit *ἐρειοί*, et relinquendumne sit an immutandum, parum consentiunt explanatores. Edd. Gourm., Camerar. I[a], Brubb. I et III., H. Steph. (min.), Vignon. a. 1620, Wechel. (Paris 1543) itemque recentiores inde ab Reiskiana et Valck. ad Ameisianam usque, ad unam omnes vulgatam scriptionem *ἐρειοί*, codd. A et C autem parum modo diversam *ἐριοὶ* offerunt, quae „*optimorum codicum*" lectio videtur summo G. Hermanno. Alii aliter autem hoc *ἐρειοί* vel *ἐριοί* corrigendum censent: *ἄρειοι (militares) Casaubono; ἐρεμβοί* (i. e. *ἐρεμνοί nigri, horribiles?) Scaligero; ἐρεμνοί*[1]) (i. e. nigri seu „Aethiopes . . . qui cum Aegyptiis saepe confundebantur") *Auberio* in ed. Crispini a. 1620; *ἀραῖοι*[2]) *(perniciosi* vel *detestati) Wartono; ἀεργοί Toupio; ἀγρεῖοι* denique *Musgravio* placet; *Valckenario* quondam *ἕλειοι in paludosis Aegypti locis commorantes*

---

[1]) In scholis Theocriteis (num. 134 init.), ubi haec edixit: „V. 50 multi codd. in iisque *optimi ἐριοί* habent."

[2]) *Ἀραῖος* i. e. *ἐπιβλαβής, βλαπτικός, ἀσθενής*. Schol. Cod. Veneti (Villoison.) ad Iliad. E, 425 et *Π*, 161. Huncce Cod. Veneti Scholiasten non minore cum labore, quam fructu, diligentissime pervolutavi, ab summo viro, *F. A. Wolf.*, incitatus, qui illum Schol. omnibus ceteris longe anteponendum, et ex diligenti Scholiastarum evolutione, ut omittamus cetera commoda, veram doctrinam grammaticam hauriendam esse censet. Sunt ipsius verba haec (Prolegg. cp. IV.): „*Jam hic paucis verbis delibandum nobis est insigne meritum Villoisonii, qui primus duos Iliadis codices Venetos in publicum protulit cum ea Scholiorum congerie, quae . . . , omnino criticis et grammaticis divitiis non modo Eustathio, sed omnibus omnium poëtarum Scholiastis longe antecellit.*" Et porro cap. VI.: „*sed nequaquam me poenitet hujus studii, quod . . . in tractatione vett. grammaticorum consumpsi. Imo tantum eo me adjutum sentio, non modo ad hoc opus, sed ad omnem*

in mentem venerat (quod, mutato tantum spiritu, etiam *J. H. Vossius,* divus ille heros, sanae religionis non minus, quam doctrinae, fortissimus defensor quondam, probavit et vertit „*Rabengesindel*") [1]): postea vero (i. e. tum, quum de Adoniaz. commenta edidit), *quid verum esset, nescire se est confessus.* Quis, quaeso, lucem audeat afferre, ubi talis vir densam caliginem, qua involutum se queritur, perrumpere se posse desperat! Attamen prae aliorum conjecturis ab Toupio excogitatam *ἀεργοί* (de qua cf. Paul. ad Tit. I, 12) sibi placere, ibidem vir clariss. affirmat; idem sentiunt Ahlwardtus et Bindemannus. G. Hermannus (in schol. Theocrit.) *ἔριθοι* („omnes ad vafre ludificandum mercenarii administri"), Boissonad. in ed. II. *ἐρισταί* conjecit (et in textum recepit, subjecta notula hacce: „Codicum scripturam *ἐρειοὶ* et *ἐριοὶ* mutavi in *ἐρισταί,* temere quidem, fateor"). Denique Zieglerus (in not. ad. h. v.) „permultis virorum doctorum conjecturis adjecit duas alias"..., nempe „*ἐρεμνοί* i. e. *obscuri* s. subdoli" (gloss. cod. Vat. B. *σκοτεινοί* Zieglero hanc conject. stabilire videtur), et „*ἐρίηροι*" (i. e. „ad omnes malos lusus arcte conjuncti"). Ego vero, qui in tanta manu scriptorum codd. copia tantaque lectionum variarum ubertate conjecturas ad unam omnes extorres agendas censeo, et in mea editione revera agam, cum Dahlio illud *ἐρειοί* relictum volo. Quid enim prisci Theocriti carminibus est cum isto recentiorum partim male sano, partim distorto ac ridiculo, ad antiquitatis indolem parum accommodato et ubivis fere superfluo multiplice fetu, quem magna ex parte nimia conjiciendi et ita ingenii aciem doctiuscule ostentandi libido

---

facultatem linguae graecae, neminem ut arbitrer in ullo graeco scriptore edendo proficere posse, nisi simili cursu lectionis praecepta illorum collegerit, et ad optimas rationes examinaverit."

[1]) Divus *Hebel.*, alter sane Theocritus, in praelectionibus suis Theocriteis *ἀραῖοι* videtur comprobasse; vertit enim: „Einer wie der andere, *schlechte Gesellen, lauter Lumpengesindel,*" quod mecum communicavit Frid. Fröhlich, Hebelii quondam auditor (de quo viro praestantissimo vid. p. 36).

(si non furor, ut Reiskii) enixa est? Nostrum *ἐρειοί* igitur, ut genuinum, servandum et, quasi ab *ἔρις* deductum idemque atque *ἐριστικοί* denotans, *litigiosi* seu *contentiosi*[1]), *zänkische, streitsüchtige Leute*, vertendum arbitror. Stat mecum *Zamagna*, qui vertit: *iraque procaces*. Illud *ἐρειοί* retinendum censeo, etiamsi, quod Valckenario videtur, nusquam alibi occurrat. Ego quidem, quo id firmem exemplo, non habeo. „Sed raritas,“ ipsius *Hermanni*,[2]) harum doctrinarum luminis, verbis utor, „in hujusmodi vocibus, quas poëtae pro praesenti necessitate fingunt, non minuit fidem.“ Et alia, praeter hoc nostrum, permulta *ἅπαξ λεγόμενα* exstant et feruntur: cur non et hocce feratur? Si quam conjecturam essem admissurus, omnium maxime mihi arrideret aut Casauboni *ἄρειοι pugnaces* (deteriori autem sensu), aut Wartoni *ἀραῖοι exsecrati* seu *detestabiles*; quorum alterum ab *ἀρά*, alterum ab *Ἄρης* deducitur.[3])

Reiskius quidem aeque atque ego *ἐρειοὶ* intactum relinquit, at, Theocriti spiritu forsitan divinitus afflatus, subtilissime mireque, uti solet, ita interpretatur: „*ἐρειοὶ sunt servi, nos appellamus Bauern. Quod genus hominum* [audite et stupete! W.]

---

[1]) Sic inde ab H. Steph. (in ed. minori) omnes verterunt interpretes (Casaubonus quoque in ed. Morel. id adscripsit), donec nostra demum aetate F. Jacobsius (Anthol. tom. II. P. III. p. 47) id *homines nequam* interpretatus est, quod, probatum Wuestemanno (ad v. 50), ut Kiesslingus (a. 1819), sic Ameisius quoque (a. 1844) in versionem textui adjectam recepit.

[2]) Ad Eurip. Bacch. 130.

[3]) Haec quum typis jam mandata essent, Basilea redux (vide quae in *librorum meorum indice* ad. *edit.* Gourmontensem annotavi) nonnulla, quae ibi, data occasione, *Düntzerus*, felicissimus Horatii cultor, hac de re mecum communicavit, subjicienda mihi sunt visa. Vir doctissimus enim aut *ἀραιοί* i. e. *exilibus cruribus instructi* sive *imbelles* legendum, aut certe, quum *ἐρειοί*, quod ad *formam* pertineat, omnino graecum non sit, *ἐρῖοι* (quod, ut jam monui, optimi quique codices exhibent), *contractum ex ἐριοί*, probandum in textumque recipiendum esse censet; ac rectissime judicasse mihi videtur, quare equidem recipiam *ἐρῖοι*, producta syllaba media.

conditione vitae infimum, moribus teterrimum appellatione BAUERN, PÖBEL *et* CANAILLE *complectimur* [o nefas horrendum! W.], *illud genus veteres Graeci nomine τῶν δούλων*, [1]) *Latini* SERVORUM *et* PASTORUM *complectebantur.*"

Quis, quaeso, tam paucis unquam verbis tot tantaque ignorantiae, inhumanitatis, injustitiae specimina edidit, quot quantaque hoc loco Reiskius? — Nonne hoc est non modo Graecae linguae scientiam prorsus diffiteri (unde enim vocem *ἔρωοι* est ita deducturus, ut ea „*Bauern*" et „*Canaille*" denotet? [1]) sed omnem simul humanitatem ac justitiae sensum deposuisse? Num latuit Reiskium, hominem istum *ἀριστοκρατικώτατον*, parum constare, utrum ipso illo tempore in eorum qui vomere terram, an eorum qui calamo chartas (et litus interdum!) exararent, numero atque ordine plures subjectioresque „*servi*" quique plebis sentinae (*τῷ* „Pöbel" et *τῇ* „canaille") adscriberentur, digniores invenirentur; num latuit istum, ipsa illa aetate multos superioris conditionis homines, et inter hos, quod admodum deplorandum est, passim *doctos* quoque viros exstitisse, qui, quod ad virtutem, justitiam vitaeque innocentiam, quod ad veri honestique studium, quod ad animi fortitudinem et ingenii liberalitatem attinet, parum satisfacerent justae exspectationi; ut, si iidem reviviscerent et nobis ob oculos nunc versarentur, simplicium illorum, moribus quidem rudium, at virili ingenio rectique sensu praeditorum aratorum [2]) *unus*, istorum, quos notavi, „*cultiorum* seu *honoratiorum*," qui vocari tunc amabant, homuncionum *complures* forsitan valere atque aequiparare crederetur? — Congratulentur sibi agricolae nostri, male sanam istam Reiskii de hominum dignitate doctrinam, quae Ludovici XV. (per ironiam procul dubio *Deodati* cognominati)

---

[1]) Valckenario (p. 360 A) „inductus videtur Reiskius voce Homerica ex Od. *Θ*, 529 *Εἴρερον*, quam *δουλείαν* interpretantur ii, quibus illa aeque fuit obscura, ac [lege: a t q u e. W.] Henrico Stephano in Ind. Thes."

[2]) Stat a parte agricolarum humanissimus ille, quem pie colo, M. Tullius, qui (in Verr. Act. II. lib. III, 11, 27) aratores *optimum, justissimum honestissimumque genus hominum* appellat.

temporibus obtinuerit, probari jam dudum desisse; congratulentur sibi boni illi aratores, aliter omnino, quam tunc temporis, quum talia Reiskius effutiit (a. 1766), probos subactique simul judicii viros de hominum conditionibus, dignitate atque aestimatione nunc sentire ac statuere, et homines nunc in Germania viventes longe plurimos, nec humilis conditionis solum, sed et magnos ac potentes tantum abesse, ut nomine „*Bauern*" genus hominum vile et abjectum moribusque teterrimum („*servos, Pöbel, Canaille*") aut soleant aut velint insignire, ut potius aetatis nostrae praepotens *rex* coram populo suo, imo vero coram omni Europa nuper declaraverit, *se nihil jucundius, nihil antiquius, nihil dignitati suae votisque sincerissimis convenientius nosse, quam* AGRICOLARUM REGEM („König der Bauern") *et esse et appellari.*

At linquamus superciliosum istum (in re literaria quoque) aliorum hominum censorem,[1]) superbum illum doctorem quondam Lipsiensem, et ad Nostrum redeamus!

---

[1]) Vid. Valck. Annott. in Adon. p. 16 (ed. Heindorf. Berol. 1810).

INDEX

codicum et manu scriptorum et typis excusorum, quibus in curanda hac mea editione usus sum.

A) Codices MSS. (Bibl. Reg. Paris.)

Cod. A.] Codex bombycinus, in catalogo n. 2831 [1]), praeter alia (inde ab fol. 49. usque ad fol. 113 *Κανόνες τοῦ Θεοδοσίου*, postea autem Theodori Prodromi tetrasticha in Vetus et Nov. Testam. apparent) continet Theocriti Idyllia ab V^{to} ad XVII. usque, alio autem, ac vulgato, ordine disposita. Inter XVII. et XVI. (quod finem Idylliorum ibidem facit) occurrit Epitaphium *Bionis,* vulgo *Moscho* adjudicatum. Desiderantur in eo cod. Idyllia, vere et sine dubitatione Theocritea, I. II. III. IV., porro 54 primi versus V^{ti} et Epithalamium (XVIII.); nam de XIX. reliquisque omnibus usque ad XXX., quem Idylliorum numerum recentiores fere omnes (inter eos Valckenarius) ut verum constituerunt, parum liquere mihi videtur, utrum Theocriti venae effluxerint, nec ne. Horum incertorum, si quod aliud, inprimis XXI. genuinum esse arbitror. Hic codex aut XII. saeculi fine, aut

---

[1]) Hoc numero in Catalogo Bibl. Reg. Paris. revera et certo notatus est hic cod. *antiquissimus;* quamquam aliter hac de re existimat clariss. *Ameisius* in ed. praef. p. II. (et in Jahn. et Klotz. Ephem. a. 1845 p. 118), ubi codicem huncce confundit cum juniore n. 2832. (n. 10 apud Gaisford.)

ineunte XIII. ab monacho aliquo, linguae graecae, quod mendae in eo occurentes aperte demonstrant, prorsus ignaro (quae res ad augendam libri fidem permultum facit, quum fideliter ex antiquiore cod. desumptus, omnino nulla scribentis conjectura immutatus sit) pessime scriptus est, ut nonnisi summo cum labore atque *armatis oculis* legi possit. Distinctionis signa nonnisi raro occurrunt. Glossae apparent et conjecta ad marginem scholia, quoad legi possunt, partim eadem cum editis, partim ab illis diversa, quae (scholia) vero ad v. 139 Idyllii VII. tantum procurrunt. Litera incipiens Idyllium quodque majuscula est et minio picta; *ι* et *υ* ubique fere puncto duplici notata sunt; quod non solum in multis omnium aetatium codicibus, verum etiam in Lascaris editionibus conspici, Porsonus monet ad Euripid. Med. v. 1106. v. *κύρῆσαι.* Idem passim in ed. *Aldina,* ut Id. XV, 4. 17. 28. 48, nusquam autem in Gourmontensi apparet. Summus Ruhnkenius ex hoc cod. nonnulla Theocr. Idyllia, at obiter tantum, contulisse mihi videtur. (Vid. not. meam ad v. 11.) Hic codex (n. „2" apud Gaisford.) ita consentit cum optimo Mediolanensi, n. 32 (apud Gaisford. „A"), ut, quum ejusdem atque ille aetatis sit, non possit non haustus esse ex uno eodemque fonte.

Cod. B.] Codex n. 2884, *olim Colbertinus,* bombycinus primae notae ac revera, quod ad scripturam attinet, quamquam ob literas justo minores et spatio parcendi causa varie inter se nexas non sine magna oculorum contentione legi potest, splendidus tamen et ab viro graece doctissimo accuratissime exaratus; cui codici verba, quae indicant ejus pretium non mediocre, seriori manu (biblioth. custodis cujuspiam) praefixa haec sunt: *Rei literariae permultum interest, hunc codicem conferri.* Ejusdem fere ac prior aetatis est aut paulo recentior, et, praeter Aeschyli et Sophoclis tragoedias aliquas, quas Brunckium ex eodem hoc cod. exscripsisse, Erfurdtius (ed. Soph. vol. VIII. p. IV.) testatur, Theocriti quoque Idyllia XIII priora, scholiis, quae ab vulgatis nonnihil differunt, instructa continet. Prima sex Idyllia ita in eo sese sequuntur: I. V. VI. IV. VII. III. Reliqua vulgarem

ordinem servant ibidem. Hic codex (n. „9" apud Gaisford.) omnino conspirat cum Mediceo n. 37 (ap. Gaisford. „P", ap. Ziegler. „Medic." notato. Cf. Mühlmann. Legg. dial. bucol. p. 21 sqq.).

Cod. C.] Cod. 169, olim Coislinianus 316 (vid. praef. meam, p. 6) item bombycinus, at omnium longe splendidissimus, summa cum cura elegantiaque scriptus. Saeculi XIV^mi^ est et continet, praeter Porphyrii, Plotini, Hesiodi, Euripidis, Aristotelis nonnulla opera, Theocriti Idyllia XVIII priora, nec non, post Idyllium XIV., illud *Epitaphium Bionis,* ab omnibus edd. nunc, quod ad Cod. A jam monui, *Moscho* tributum. De eo cod. vide *Bern. de Montfaucon bibl.* Coislin p. 225. et J. Aug. Jacobs. praef. p. XL. Qui codex (Gaisford. n. „7") omnium fortasse, quotquot exstant, praestantissimus quum mirum in modum cum antiquissimo codice, Urbinate 140 (apud Gaisford. „i"), consentiat, aut ex hoc ipso exscriptus, aut, quod malim mihi persuadere, e communi fonte, nunc ignoto, haustus debet haberi. Doleo vehementer, hunc cod. Urbinatem a Zieglero V. Cl. non collatum esse, quum *Gaisfordianae* collationi fere nulla, *Zieglerianae* autem summa fides danda mihi videatur.[1]) Alio loco hac de re plura!

B) Editiones.

a) Veteres:

1. GOURMONT sive PARISINA PRIMA.

Inscribitur ita:

„*ΘΕΟΚΡΙΤΟΥ ΕΙΔΥΛΛΙΑ ΤΟΥΤ' ΕΣΤΙ ΜΙΚΡΑ* „*ΠΟΙΗΜΑΤΑ ΤΡΙΑΚΟΝΤΑ.*" [Nunc sequitur imago, S^ti^ Michaelis cum diabolo pugnam praetereaque signum equestre viri nobilis „GILLES de GOURMONT" repraesentans,] „*Venales reperiuntur*

[1]) Cf. Mühlmann. p. 21 sqq.

„in vico sancti Joannis Lateranensis e regione came-
„racensis collegii APUD EGIDIUM GOURMONT *diligen-*
„tissimum et fidissimum Bibliopolam.“ [Sine anno.]
Est autem dedicata his verbis (p. 2):

„HIERONIMO ALEANDRO mottensi, Viro trium „linguarum doctissimo, Graecas AURELIÆ litteras „profitenti, CELSUS HUGO dissutus [i.e. Baarfüsser?] „cavillonus celta, earundem nec non et hebraicarum „APUD PARRHISIOS interpres, S.“ [De orthographia Hugoniana nihil immutavi. *W.*]

Deinde sequitur epistola dedicatoria, quibus hanc suam editionem, de cujus subsidiis ac fontibus tacet omnino, auctor Aleandro, tunc temporis (a. 1509—1511) in universitate Aurelianensi litt. graecarum professori (posthac autem Archiepiscopo Brundisino et denique Cardinali Eccles. Rom.), praecipue his verbis commendat: „Non potui non..... *haec tui Theocriti „opera, nostro labore impressa,* tuo nomini dedicare, „ut tua auctoritate munita libere in publicum pro- „dirent“ etc.

Haecce ed., Parisinarum omnium princeps et quae cognoscatur, dignissima, ignota ad hanc diem usque remansit, neque cuiquam poëtae nostri editorum interpretumve est memorata. — Maximam partem autem ex Aldina eaque correcta (nam *priora Aldinae* exemplaria valde vitiosa sunt, de qua re vid. Jacobs. praef. pp. XXI, CI et CLXI) *hausta et,* quod his ipsis diebus in Basileensi philologorum concione, qua coram de bucolicae poësis indole, deinde de Theocriti nostri in terris fere omnibus praecipue Teutonicis diligenti

cultu, tum de veteribus editionibus deque hac ipsa, quam inspiciendam proposui, *Gourmontiana* (doctissimo conventui Basileensi quoque ignota), et postremo de perniciosa multorum editorum atque interpretum conjecturas suas scriptoribus antiquis intrudendi prurigine nonnulla verba facere mihi contigit, — omnino demonstrasse mihi videor, *circa annum MDX typis est expressa.* [1])

2. ALDINA.] Editio post *Mediolanensem* altera, „impress. „Venetiis characteribus ac studio *Aldi Manucii* Romani „cum gratia etc. MCCCCXCV. Mense februario.“ [Ex bibl. univ. Heidelberg. benigne in tempus utendam mihi misit Chr. Baehr, V. Cl., illi bibl. praefectus.]

3. JUNTINA.] Editio ab Philippo Pandulphino, Alexandri filio, in aedibus Phil. Juntae curata. Inscribitur „*ΘΕΟΚΡΙΤΟΥ ΒΟΥΚΟΛΙΚΑ.*“ *In fine* hujus ed. legimus: „Theocriti „castigatissima opera omnia, FLORENTIAE impressa in aedi- „bus Philippi JUNTAE, finem nacta sunt die X. ianuarii. „MDXV. Leonis X. pontifici [sic!] maximi anno tertio.“[2]) [Ex biblioth. univ. Basileensis.]

---

[1]) Praeclare haec mea sententia confirmatur gravissima notitia, quam hodie demum (Calend. Nov.), postquam iterum iterumque *adversaria* mea pervolutavi, inveni; est autem haec:

„In fine libri, *ἘΡΩΤΉΜΑΤΑ ΧΡΥΣΟΛΩΡΑ͂* inscripti et ab GILLES DE GOURMONT. editi, verba haec leguntur:

„„Operoso huic opusculo extremam imposuit manum EGIDIUS GOURMONTIUS, integerrimus ac fidelissimus PRIMUS, duce Tissardo Ambacaeo, graecarum litterarum Parrhisiis impressor. ANNO DNI. MCCCCCVII. Cal. Decbr.““

Unde colligendum est, *Gourmontianam* Theocriti editionem eodem fere tempore ab Gourmontio in lucem esse emissam.

[2]) Valckenarius hunc librum inspexisse *non potest*, quum haec verba, quae *in fine* ed. Junt. collocata sunt, „*in fronte*“ ejusdem „libelli“ exhiberi dicat (in praef. ad ed. priorem). Cf. J. A. Jacobs. praef. p. XXII.

4. CALLIERGIANA sive ROMANA.] Impressa est editio a. 1515, in lucem emissa a. 1516 mense Januario (Cf. J. A. Jacobs. praef. p. XXXIV.). [Ex bibl. univ. Basil.]

5. CAMERARIANA I[a] s. HAGANOANA.] Ed. cum pauca lect. variet. et vers. Eoban. Hessi prodiit Haganoae apud Jo. Secerium a. 1530. („*Ed. rarissima.*" J. A. Jacobs. pag. 242 in not. ad Id. 24, 138.) [Ex bibl. univ. Friburg.]

6. BASIL. I[a]] Editio, quae „*ἐτυπώϑη ἐν διασημοτάτῃ τῶν* „*Ῥαύρακῶν Βασιλείᾳ παρὰ Ἀνδραίᾳ Κρατάνδρῳ* 1530."

7. BASIL. II[da]] Ed. Cratandr. repetita per Hieronym. Gemusaeum a. 1541. [Adhibui exemplar quam plurimis notis, vet. manu scriptis, instructum, quod est bibl. univ. Friburg.]

8. WECHEL.] „*Θεοκρίτου Εἰδύλλια κτλ.* Parisiis apud „Christ. Wechelum sub scuto Basiliensi in vico Jacobaeo etc. „a. 1543." [Ex bibl. aul. *Magni Ducis Badarum.*]

9. BRUBACHIANA I[a] s. Camerariana II[da].] „*Θεοκρ. Εἰδ. κτλ.* „— Latina versio carmine non infeliciter reddita per H. Eob. „Hessum, et Joach. Camerarii Scholia non inerudita acces- „sere. MDXLV." („Francofurti ex officina Petri Brubacchii.")

10. BRUBACH. III[a] s. Xylandrina.] *Tertio* prodiit eadem ed. curante *Guil. Xylandro*, apud P. Brubach., Francof. a. 1558. (Passim, sed raro tamen, lectionem immutavit, et *ἀποσημειώσεις* adjunxit Xylander.) [Ex bibl. *Frid. Froehlichii.*]

11. MOREL.] „*Θεοκρ. Εἰδ. ἓξ καὶ τριάκοντα κτλ.* Paris. 1561 apud Guil. Morelium. (form. IV[tae].)

[Ex bibl. univ. Heidelb. — In fronte hujus exempl. haec legimus: „I. Casaubonus *me possidet.*" — Ad calcem ejusdem paginae: „*Sum* J. G. Graevii. *Huic libro multo manu sua* Is. Casaubonus *adscripsit.*" [Cf. quae in praef. p. 9 hac de re dixi. — Hic liber pretiosiss. est bibl. univ. Heidelb.]

12. H. STEPHAN. minor.] „Theocriti aliorumque poëtarum idyllia etc. „Excud. H. Steph. a. 1579."

[Ed. rariss., quam Dr. *Lebeau*, nunc pastor in vico Sand, in tempus mihi permisit.]

13. D. HEINS.] „*Θεοκρ. τοῦ Συρακούσίου εἰδύλλια, καὶ „ἐπιγράμματα. Μόσχου Συρακοσίου, Βίωνος Σμυρ- „ναίου, Σιμμίου Ῥοδίου τὰ σωζόμενα.* Omnia cum „Interpret. lat. Accedunt notae et emendd. Jos. SCALIGERI, „Isaaci CASAUBONI, Danielis HEINSII in Theocritum. — „In Bibliopolio Commeliniano. CIↃ IↃ CIII."
[Edit. admodum rara, ex bibl. Froehlich. desumpta.]

14. VIGNON.] *Θεοκρ. Συρ. Εἰδ. κτλ.* Apud Johann. Vignon. [Genevae] 1620. [Ex bibl. Fröhlich. — Prorsus eadem est atque prior illa, quae a. 1584 „*παρὰ Ε. Οὐϊγνῶνι*" excusa est, quamque Parisiis inspexi. Vid. Prolegg. mea p. 13, et cf. J. A. Jacobs. praef. p. XLVI. sqq.]

15. GLASGUENSIS.] „*ΤΑ ΤΟΥ ΘΕΟΚΡ. ΣΕΣΩΣΜΕΝΑ.* Theocriti quae extant. Ex ed. DANIELIS HEINSII expressa.
— nec erubuit Sylvas habitare Thalia. Virg.
GLASGUAE, in aed. acad. excudd. Rob. et Andr. Foulis, Acad. typogrr. MDCCXLVI." [Ex bibl. Fröhlich.] [1])

b) recentiores:

16. REISK.] Ed. Reiskii Vienn. et Lips. 1765 et 1766.

17. VALCK.] Ed. a. 1779 cum Annott. in Adoniaz. (repet. Berol. 1810).

---

[1]) Animi grati testificandi causa annotem necesse, quam plurimos libros eosque optimos ex locupletissima bibliotheca sua Theocritea mihi utendos in tempus liberaliter permisisse *Fridericum Froehlich.*, virum tum morum probitate ac suavitate, tum grandi solidaque doctrina insignem, qui, postquam duos fere annos nobiscum in hac arce Rastadina commoratus est multaque de Theocriteis suis studiis felicissimis mecum conmunicavit, nuper, pro dolor! ex congressu nostro Carlsruham ad suscipiendum munus amplissimum (nunc est enim inter illos, qui moderantur Badensium res internas, quae vocantur) abiit, cujusque omnes, qui norunt Illum, permagnum nunc tenet desiderium.

18. HARLES.] Theocr. Reliquiae. Ex rec. Theoph. Christoph. Harles. Lips. 1780. [Ex bibl. Fröhlich.]

19. GAIL. I[a]] „Théocrite, Bion, Moschus, Anacréon et autres, appelés vulgairement petits poètes, publiés par M. l'Abbé *Gail,* docteur aggrégé de l'Université. A Paris 1788." [Dono mihi dedit, una cum commentariis suis, auctor, a. 1824.]

20. GAIL. II[da]] „Idylles de Th., trad. en fr. par *J. B. Gail,* prof. de litt. grecque au Collége de France. II tomes. A Paris, l'an IV." [Ex bibl. Fröhlich.]

21. DAHL.] Ed. Jo. Guil. *Dahl.* Lips. 1804.

22. F. JACOBS. s. GOTHAN.] Ed. Strothiana (a. 1783), a Frid. *Jacobs.* repet. atque emendata. Gothae a. 1808.

23. SCHAEF.] Ed. illustris G. H. SCHAEFERI (quam sequuntur Edd. Tauchnitz., quarum novissima a. 1830 prodiit, „cum notis G. H. Schaeferi"). [Hanc ed. Leodii inspexi.]

24. GAISFORD.] Ed. Thom. Gaisford. Oxon. 1816. (De hac ed. recensenda multus est J. A. Jacobs. p. CLIV. sqq. Cf. num. 16 et pag. 32.)

25. KIESSLING.] Ed. Lips. 1819. [Repetita est, una cum Lexico Dor. Aemilii Porti, Londini a. 1829. Ex bibl. Fröhlich. haecce ed. Londin. mihi permissa est.]

26. J. A. JACOBS.] „Theocriti etc. quae supersunt . . . Halae 1824." [Ex bibl. E. Kaercheri V. Cl. — Editio critica, multis nominibus praestantissima, qua immortaliter de Theocrito restituendo meritus est auctor, quippe qui (in praef.) vitiosi textus primariam causam atque originem, scilicet codicum collationum ad id temporis factarum omnium, in primis autem *Gaisfordianae* (ab ipso repetitae) prorsus mancam et *ob id ipsum* fallacem naturam diserte demonstraverit itaque *reapse* codices denuo atque multo accuratius conferendos vehementer commendarit; quae res vel hodieque nondum effecta, sed nuper ab Aderto, Boissonnadio,

Ameisio Dübneroque et prae ceteris, *qui ipsi codices Mss. inspexerunt*, ab Zieglero praeclare **inchoata** tantum mihi videtur. Quam vellem, solertissimi illi sagacissimique Theocriti cultores, *Ahrentem* dico *Bergkiumque*, comparandis libris Mss. quoque operam navassent, suaque ita de poëta nostro merita insignia duplicassent!

27. WUESTEMANN.] „Theocr. Reliquiae. Recogn. et illustr. Ern. Frid. *Wuestemann*. Gothae et Erfordiae, sumptibus Guil. Hennings. 1830." [Editio, „*Friderico Jacobsio sacra*," quod ad *ἐξήγησιν* praecipue attinet, praestantissima et quae tanto viro dedicaretur dignissima!]

28. MEINEK. II[da].] „Theocr., Bio et Moschus. Ex recogn. Aug. Meinekii. Berol. 1836. [Ed. altera, quae, quod ad *κριτικήν* spectat, superavit priores omnes.]

29. BOISSONAD.] „*Θεόκρ. Βίων. Μόσχος*. Iterum curante Jo. Fr. *Boissonade*. Parisiis ap. L. Hachette. — a. 1836." [Addidit lectt. varias, ex codd. Parisinis desumptas, et notulas praeclaras.]

30. ZIEGLER.] „Theocr. carmina recensuit Christoph. *Ziegler*. Tubingae in bibliop. Laupp. London. D. Nutt. 1844." [Ed. critica permagni habenda. Vid. p. 32 et 37.]

31. AMEIS.] „Poëtae bucol. et didact. *Theocritus, Bion, Moschus*. Recogn. et praef. critica instruxit C. Fr. *Ameis*. — Nicander, Oppianus etc. Recogn. F. S. *Lehrs;* praef. est K. *Lehrs*. — Phile Iambi de propriet. animalium, ex codd. emendd. F. S. *Lehrs* et Fr. *Dübner*. — *Parisiis*, editore Ambrosio *Firmin Didot*, institut. reg. Franciae typogr., via Jacob., 56. A. 1846."

[Theocriti editio, quod ad formam spectat, longe splendidissima, quod ad rem ipsam (*κρίσιν* sc.) pertinet, accuratissima et, nisi forte mea in *Ameisium* observantia judicium mihi occaecat, omnium quae huc usque in lucem prodierunt optima. Id unum doleo querorque, quod, praeeunte jam Aldo Manutio (cf. J. A. Jacobsii justas hac

de re querelas, praef. p. XXI), *Dorismum* si non neglexit, certe non satis servavit. — His ipsis diebus *Basileae*, ubi *una cum suavissimo Wuestemanno* perquam jucundo illi philologorum congressui interesse mihi contigit, hic vir doctus mecum communicavit, se una cum Ameisio (quem Basileae valde desiderarunt bucolicae poësis amantes omnes) Theocriti carmina iterum editurum esse. Quod felix faustumque erit; nam si Theocriteorum horum duumvirûm ars critica atque exegetica conjungetur et copulabitur, fieri non poterit, quin genuina venustate resplendens, quippe et felicissime recensitus et praeclare illustratus in publicum prodeat divinus vates Syracusanus.]

ΕΙΔΥΛΛΙΟΝ ΙΕ.

Συρακόσιαι[1]) ἢ Ἀδωνιάζουσαι.

Argumentum.

Quum Adonidis sacra Arsinoës cura et sumptibus magna hominum celebritate Alexandriae agerentur, Theocritus materiam inde arripuit, et ipsam reginam totamque Ptolemaeorum familiam splendidis laudibus eleganter ornandi. Quod ut faceret in hoc Idyllio, duas inferioris, nec tamen infimi loci mulierculas exhibet, quae, Syracusis natae et educatae, cum maritis Alexandriam habitatum in tempus concesserant, et, ut splendidum festi apparatum spectent, una cum ancillis in aulam regiam sese conferunt. Plures hujus carminis constituendae sunt partes sive scenae, quarum prima in Praxinoae agitur aedibus, quo Gorgo venit, ut amicam arcessat. — 43. Post varios sermones, quales inter mulieres haberi solent, rebus domi compositis, ambae ancillis stipatae in publicum prodeunt ubi illis turba hominum undique confluentium, stuporem, equi regis forte occursantes terrorem incutiunt. Sequitur brevis cum vetula obviam illis facta confabulatio. — 64. Jam in regiae porta in hominum turba misere luctantur, et aegre tandem, ab ignoto quodam homine adjutae, in eum locum penetrant, ubi Adonidis sacra fiunt. — 77. In ipsa denique regia, dum Adonidis ibi expositam imaginem, dum stragularum vestium reliquique ornatus magnificentiam, dum omnia denique admirantur, de omnibus garriunt, altercatio illis oritur cum spectatore quodam, intolerabilem earum garrulitatem aegre ferente. — 95. Conticescunt tandem, ut carmen audiant in honorem Adonidis compositum, quod item Arsinoës Berenicesque laudes complectitur. — 146. Quo carmine finito post laudes cantatrici tributas

---

[1]) Sic rectius quam rell. edd. habet Meinek., numis annuentibus vide ap. Hauris. Scriptt. Hist. Rom. tom. I. tab. XLVI. numos I. et III., A. U. C. 537 cusos, et ibid. tab. XLII. numum I. „elegantiorem et rariorem“ (Hauris. ibid.), in quibus omnibus *ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ* apparet.

domum redire parant. Egregium poëma, tum ob veritatem et festivitatem, qua muliebris indoles repraesentatur; tum ob rerum varietatem in orbe satis exiguo exhibitarum; tum denique ob elegantiam, qua regiae familiae laudes attexuit auctor. Totum est dramaticum sive mimicum, quum, quod *Boettigerus* in Excursu de saltat. mimica, *Bornemanni* Symposio Xenoph. ad calcem adjecto, recte observavit, Theocritus ad imitationem Sophronis, qui ante eum Syracusis mimos et inter eos γυναικείους quoque μίμους (v. Dindorf. ad Schol. Aristoph. Ach. p. 516 et Blomfield. ad Aesch. Pers. 397.) composuerat, postea Idyllia sua magnam partem (scil. II. IV. V. VI. X. XIV. XV. [XXVII.]) confinxerit.



ΕΙΔΥΛΛΙΟΝ ιέ.

ΣΥΡΑΚΟΣΙΑΙ Η ΑΔΩΝΙΑΖΟΥΣΑΙ.

[ΓΟΡΓΩ, ΕΥΝΟΗ, ΠΡΑΞΙΝΟΗ, ΓΡΑΥΣ, ΞΕΝΟΣ, ΕΤΕΡΟΣ ΞΕΝΟΣ, ΓΥΝΗ ΑΟΙΔΟΣ.] [1])

* Γ. Ἔνδοι Πραξινόα; Ε. Γοργοῖ φίλα, ὡς χρόνῳ; ἔνδοι.
Π. Θαῦμ' ὅτι καὶ νῦν ἦνθες· ὅρη δίφρον, Εὐνόα, αὐτᾷ.

V. 1. In ed. Basil. superscripsit vetus annotator: Exordium muliebre a maritis. — De primorum versuum distributione vide prolegg. p. 11. sqq. ubi uberius de hac controversia egi. Ameisius, ut Meinek., Boisson. et Zieglerus, inde ab *Γοργοῖ* ad *ποτίκρανον* usque omnia Praxinoae assignant itaque ex Eunoa faciunt *κωφὸν πρόσωπον*.

Ἔνδοι Codd. et edd. omnes; Doricum est pro *ἔνδον*. Corinth. de diall. p. 697: *τὸ ἔνδον ἐνδοῖ λέγουσιν* (*οἱ Δωριεῖς* scil.); Dores enim N in I immutare amant, teste Etymol. M. p. 203 (apud Valck. Ad. p. 363 B) s. v. *εἴνατος* (dor. pro *ἔννατος*), ubi legimus: *ἡ δὲ τῶν Σικελῶν* (*διάλεκτος*)... *τὸ Ν εἰς Ι μεταβάλλει· τὸ γὰρ ἔνδον, ἐνδοῖ.* Aeoles autem consonas amant, ita quidem, ut in multis vocibus, ubi Attici et Jones

---

[1]) Neque in codd. meis, neque in edd. *Gourm.* et *Ald.* reliquisque veteribus nomina interlocutorum praefixa sunt. Primus ea praefixit H. Steph. (at deest ibi „Ἕτερος ξένος").

* *Ameisii* textum hujus editionis meae fundamentum jeci; ubicunque codicibus aut meis aut aliis commotus abii de eo, ejusdem clari viri lectio infra addita est. Itidem *Valckenarii*, de hoc carmine inprimis meriti, lectionem ab nostra diversam *ubique locorum* accurate annotavi.

VERSIO METRICA

BERN. ZAMAGNAE. *

GORGO, EUNOA, PRAXINOE, ANUS, HOSPES, ALTER HOSPES ET VATES.

Praxinoene domi? E. tam sera, o candida Gorgo?
Sola domi est. P. mirum vel nunc venisse; moraris,

---

vocalis producendae causa addunt *ι*, consonam sequentem, praesertim quum liquida est, malint geminare, unde *ἐμμί* pro *εἰμί*, *χέῤῥες* et *ὄφελλεν* pro *χεῖρες* et *ὄφειλεν* dicunt, teste Schol. Venet. (ed. Villoison.) ad Il. A, 353: *ὄφειλεν*, *ὄφελλεν*, *Αἰολικῶς*, *ὡς χεῖρες*, *χέῤῥες*. — Graecum *ἔνδον εἶναι* (Lys. or. de caed. Eratosth. 45. ed. Lips.) idem est, (quod recte monet Budaeus in lex. gr.) ac Latinorum domi esse seu, quod saepenumero apud Comicos occurrit, intus esse (*ἐντὸς εἶναι* Aristoph.); Terent. Adelph. IV, 2, 30: „Estne frater intus? Non est.“ Verbum *εἶναι* passim apud Atticos quoque omittitur: Soph. Aj. 6 et 7 — — *ὅπως ἴδῃς*, *εἴτ' ἔνδον*, *εἴτ' οὐκ ἔνδον*. Idem fere est *ἐντός* Eurip. Med. 1312 (Pflugk): *ποῦ γάρ νιν ἔκτειν'*, *ἐντὸς ἢ 'ξωθεν δόμων*; Reiskius alterum *ἐνδοῖ* non intus est sed intro veni! (imperativo sensu) significare somniat (vid. de hac re prolegg. mea p. 12). Latent eum omnino ea quo-

---

* Praeeunte Valckenario (in editione selectorum X Idylliorum) poëticam versionem adjicere constitui, eamque Zamagnianam in Germania, ut mihi quidem videtur, minus notam, quippe quae in libris, quos ego manu versavi, nusquam fere laudetur. Prodiit iterum *Senis* ex typogr. Pazziniana MDCCLXXXVIII.

Ἔμβαλε καὶ ποτίκρανον. Γ. Ἔχει κάλλιστα. Π. Καθίζευ.
Γ. Ὦ τᾶς ἀδεμάτω ψυχᾶς· μόλις ὔμμιν ἐσώθην,

---

que, quae de forma Dorica ἐνδοῖ ex vett. gramm. supra ăttuli, itaque mira quaedam ac vix credibilia nobis exponit vir doctiss., ἐνδοῖ scilicet pro ἔνδῳ positum antiquum esse dativum, ab adjectivo ἔνδος, ἔνδη, ἔνδον factum (?). *Passowio* V. Cl. in voc. ἐνδοῖ rectius quam ἐνδοὶ scriptum et „Aeol. pro ἐνδοθι" dictum videtur. — Γοργώ codd. mei et vett. edd. Est nominativus, saepissime a poëtis pro vocandi casu adhibitus; quare improbare hanc var. lectionem prorsus non debebant Kiesslingus et ipse Valckenarius. Vers. 66 et 70 in codd. meis iterum iterumque apparet Γόργώ. — Ad hunc locum adnotare fas sit, quae monet Schol. Venet. Il. B. 262, nomina in ώ terminantia, ut Γοργώ, Λητώ cet., accusativo acui, in ῶς desinentia autem, ut ἠῶς et αἰδῶς (sic habet!) circumflecti (αἰδῶ, ἠῶ, assentiente Aristarcho; Λητώ enim et Πυθώ cet. per συναλοιφὴν τȣ̃ α ex Λητώα, Πυθώα [?], αἰδῶ autem et ἠῶ per contractionem ex αἴδόα, ἠόα facta esse. Obloquuntur ibidem Aristarcho complures Grammatici, ut Dionysius Sidonius, qui omnes istos accusativos acuto; Pamphilus et Dionysius Thrax, qui eosdem ad unum omnes inflexo sono notari docent. — Constantinus Lasc. Gramm. III. p. 23 accusativum Λητόα et Λητώ profert. Nomen αἰδώς, ῶ ibidem facit. Dorvillius autem ad Chariton p. 216. Λητῶ et ἠῶ probavit. [1]) Γοργοῖ ed. Gaisf. ex tribus tantum codd., inter quos „H" (cod. Mediol.) *valde recens* est; ergo parum firmatur hic vocativus. — ὡς χρόνῳ, ἰῶτα non subscripto, habent edd. Z. Kall. et Morel.; quae lectio ipsi Valckenario (ut genitivus ab omisso διά rectus) ferenda videtur.

Ceterum ὡς χρόνῳ idem est atque ὡς μακρῷ χρόνῳ (cf.

---

[1]) Cum Constant. Lasc. faciunt Buttmann. Gr. ampl. I. p. 86—88, et Goettling de accentt. §. 26; item editores noviss. Thesauri. H. Steph.

Eunoa? da sellam pulvinumque. E. omnia praesto.
P. Ergo sede. G. o fortem! quae salva evadere quivi,

Soph. Antig. 409. ed. A. Boeck. 1844) sive ὡς χρονία, ut Idyll. XIV, 2. Perperam Salmasius ὡς χρόνῳ, quod exhibent multi codd. et edd. vett., pro genitivo habet; cui errori patrocinari prorsus non debuit Valckenarius, διὰ praepositione suppleta. Est enim dativus, ἰῶτα, ut fieri solet in antiquis libris, non subscripto.

V. 2. In edd. Ald. et Gourmont. versui secundo praefixum est Θ, quod, quum ista verba in codicibus omnibus Praxinoae, non θεραπαίνῃ, recte tribuantur, per typographi errorem pro Π admissum debet haberi. — Codd. et edd. dant ἦνθες. Abeat Wartonus cum conjectura sua ἦνθον (Gorgoni enim tribuit ista verba), quam quum sensui minus convenientem, tum codicum auctoritati prorsus adversantem Valckenario tamen probatam esse (in notis), non satis possum mirari. In hoc Idyllio (v. 2, 8, 17, 61, 68 et 144) ubique locorum ν pro λ in hoc verbo scriptum inveniri, observat Mühlmann p. 72. — Ὅρη codd. mei A et C (apud Gaisf. cod. 7), quem cod. ad h. l. memorare supersedit Gaisfordius; item edd. meae omnes. — αὐτᾷ codd. mei, sed vett. edd. ad unam omnes αὐτῇ (αὐτῇ Callierg.), minus bene, quum αὐτᾷ sit dativus Doricus (Mühlmann p. 95), et hoc Idyllium mimicis sit adscribendum, in quibus regnat dialectus Dorica durior et asperior [?], quam Siculam sive Syracusanam dicas.“ Wuestemann. praef. XXXIV; cf. Mühlmann. (p. 58 sq.), qui, summi G. Hermanni vestigia calcans, quod ad sermonis bucolici diversitatem attinet, carmina praeclare in „duo genera“ divisit, „quorum prius Dorica dialecto scriptum „colorem ab epicis [epica?] ducit; alterum autem epica dial. „scriptum colorem a Dorica ducit.“ — Ac priori generi recte assignavit Adoniazusas.

V. 3. Ἔμβαλε.] Sic codd. mei et edd. praeter Ald. et Gourmont., quae Ἔμμαλε exhibent, audaciori sane locum dan-

Πραξινόα· πολλῷ μὲν ὄχλῳ, πολλῶν δὲ τεθρίππων·
Παντᾷ κρηπῖδες, παντᾷ χλαμυδηφόροι ἄνδρες·

---

tes assimilationi; posset quidem, ut Aeolica forma, aeque fere atque *βάρμιτον, τερέμινθος, στιμμίζομαι* (Maittair. p. 144 C) tolerari ac defendi, si codicibus firmaretur; sed satius duco, erratis typogr. id adjudicare. — *Ἔχει κάλλ.* Eunoae, et *Καθίζευ* Praxinoae in codd. et edd. meis tribuitur. *Ἔχει κάλλιστον* dat cod. meus C, quem codicem ad h. l. male omisit Gaisford.

Vv. 1 — 3. Quod ad sensum his versibus insitum attinet, variis quae hac de re jam exstant, nostram quoque adjiciamus sententiam! — Verba *ὅρη δίφρον, Εὐνόα, αὐτᾷ* Ameisius vertit: „Circumspice sellam, Eunoa, ipsi;" at quum mihi quidem locus nullus notus sit, ubi *dativus* (ut istud „ipsi") ab isto verbo pendet (sc. circumpicere aliquid alicui), equidem non intelligo, cur doctissimus ille vir non ausus sit ad verbum vertere, Vide sellam, Eunoa, ipsi, idque praeeunte (non modo Kiesslingo, sed) ipso Cicerone ad Attic. 5, 1: „Antecesserat Statius, ut prandium nobis videret" (i. e. curaret s. procuraret). Huc facit alterum quoque illud Tullianum (Tusc, 3, 19 f.): „Demus scutellam dulciculae potionis, aliquid videamus et cibi," ubi dare et videre sunt synonyma.* — Illud *ὅρη κτλ.* *dispice* sellam ei, Eunoa" primus vertit illustris H. Stephanus: curruinque sequuntur flavo minora sidera choro, ut Crispinus (in ed. Vign.), Heinsius, Harles., Reiskius; quamquam nusquam locorum dispicere aliquid alicui invenitur. Primus ausus est recalcitrare Kiesslingus, qui, quod jam commemoravi, interpretatur vide sellam etc. —

Si non locus ille Ciceronianus versionem „*vide* sellam ipsi," in tuto collocaret, cum Morelio (ed. Paris. 1561) post *ὅρη* interpungere mallem et cum Zetzschio (p. 13) interpretari, quasi sit: *ὅρη, δίφρον, Εὐνόα, αὐτᾷ* „scil. *φέρε ἢ προστίθει.*"

---

* At Orellius aliter legit.

Praxinoe, prae turba et curribus undique fusis:
Cuncta sonant ocreis, chlamydatae et murmure pubis.

De αὐτᾷ somniavit aliquando vir apprime doctus, αὐτός pronomen, quando demonstrativi munere fungeretur, nonnisi de liberis hominibus adhibitum inveniri; cui mirifico grammatici oraculo clarissimus Kiesslingus ita credulam praebuit aurem, ut nostrum αὐτᾷ „dominae“ vertere consultum putarit. At merae istae sunt nugae, quum ipse Noster in eodem hoc Idyll., v. 67, ipsum illud αὐτᾷ de Eutychide ancilla adhibuerit: πότεχ' αὐτᾷ (sc. Εὐτυχίδι), quod „attende ad illam“ optime cum Kiesslingo vertit Ameis.; „haereto illi“ H. Steph., „adhaereto“ D. Heins. et rell. recentiores, PROPRIO verbi sensu admisso, male interpretati sunt. Item Idyll. V. 134 αὐτῷ (h. e. illi) de Eumede, servilis certe conditionis puero adhibetur.

ἔχει κάλλιστα.] Eodem sensu, quo v. 77 κάλλιστ(α), i. e. optime se habet res; nempe rite nunc apposità, pulvinoque (tunc in sedilibus, feminarum inprimis, usitatissimo) instructâ sellâ, optime se habet res. [Hunc ipsum reddens sensum apparet apud Xenophont. Cyr. 3, 3, 23 ἐπεὶ δὲ ταῦτα καλῶς εἶχεν i. e. quum haec „bene s. belle s. recte se haberent,“ uti interpretatur talem locutionem H. Steph. in lex. v. Καλῶς.]

Ad confirmandam veterem horum versuum distributionem, quam ego quoque (prolegg. p. 11 sq.) defendi, haud parum facere mihi videtur Terent. Adelph. dram. secund. sc. 1, ubi cum Demea, ATHENIENSI CIVE spectabili, fratris illius SERVUS eadem omnino cum libertate, atque Eunoa cum dominae suae amica, confabulatur, et ubi eodem prorsus sensu, atque nostrum κάλλιστ' ἔχει, occurrit: „Optime est.“ Locus autem hic est:

„SYRUS [servus]: Heus Demea, rogat frater, ne abeas longius.
DEMEA: Quis homo? O Syre noster, salve! Quid fit? quid agitur?
SYRUS: Recte. DEMEA: Optime est.“

Insequens scena (Adelph. dram. II, sc. 2) hujus simillima est. — Multo liberius autem vel potius multo audacius apud Plautum Rud. IV, sc. 4 colloquitur Gripus SERVUS cum Daemone DOMINO SUO.

Sed ut nihil omnino restet dubii, quin Eunoa, servilis conditionis mulier, herae suae amicam, salvo more graeco, tam familiariter potuerit alloqui (*Γοργοῖ φίλα κτλ.*), audiamus illam Hermiones SERVAM, quae apud Euripid. Andromach. v. 803 Pthiadum matronarum chorum his ipsis verbis alloquitur: *ὦ φίλταται γυναῖκες.* Iisdem illis matronis eadem famula paulo post (v. 817 sq.) acclamat: — — — *φίλαι· ὑμεῖς δέ, βᾶσαι τῶνδε δωμάτων ἔσω, θανάτου νιν* [Hermionen sc.] *ἐκλύσασθε.*

Atque ipsam dominam suam CARPERE audet v. 888 sq.:

Ὦ παῖ, τὸ λίαν οὔτ' ἐκεῖν' ἐπῄνεσα,
ὅτ' εἰς γυναῖκα Τρῳάδ' ἐξαμάρτανες,
οὔτ' αὖ τὸ νῦν σου δεῖμα.

Cf. Euripid. Heraclidd. v. 630 (ed. Pflugk.), ubi „*Ὕλλε πενέστης*" (i. q. *δοῦλος* apud Thessalos) Jolaum et Alcmenam his verbis salutat: *ὦ τέκνα, χαίρετε κτλ.*, quam salutem benigne reddit Jolaus: *ὦ φίλταθ', ἥκεις ἆρα νῷν σωτὴρ βλάβης;* Cf. ibid. vv. 682 sq. et 784 — 790.

V. 4. *ἀδεμάτω*] *ἀδεμάτω* et pro varia lectione *ἀδεμάτου* cod. meus A; *ἀδειμάντου* contra metrum exhibet cod. meus C, ut Vat. B apud Zieglerum; *ἀδεμάτου* edd. Ald. Gourm., Brubb. Wechel., Morel. („incorporea" not. marg. *Is. Casauboni*), Vignon., D. Heins., H. Steph., Harles., Gail. II[a]; *ἀδεμάτω* Junt. Gail. I[a]; *ἀδαμάτω* Valck. et seqq. omnes excepta Meinek., quae prima Scaligeri conjecturam *ἀλεμάτω* exhibuit, quam sequuntur Ameis. (qui vertit „o vanam animam!") et Ziegler., qui, duce Ill. G. Hermanno Opp. V., istam Scaligeri et Stephani emendationem [?!] „verissimam" putat, quod doleo vehementer. Mihi *ἀδεμάτω* est probatum.

V. 4. Quod ad sensum attinet, res sic se habere videtur. Queritur Gorgo, AB CONFERTISSIMA hominum turba animam

sibi fere ex corpore expressam esse. Saepissime jam eadem fere occasione data ex nostris hominibus (uti vel nuperrime ex amico mihi centurione), qui multitudinem aliquam vix perruperant, simile quid audire me memini: O die Seele hat man fast aus dem Leibe mir gepresst! Facit mecum Joannes Grammaticus de diall. p. 697 (ed. Basil. 1547), ubi, procul dubio hunc ipsum respiciens locum, haec habet: *'Αδέματον ψυχὴν τὴν νεκρὰν, ἤγουν τὴν ἔξω τοῦ σώματος λέγουσιν* (*ὁι Δωριεῖς* sc.).

SPECIMEN VARIAE LECTIONIS.

Vers	Ed. Ameis.	Ed. GOURMONT.	Codd. mei A. C.
1	*Γοργοῖ*	*Γοργῶ*	*Γοργῶ*
2	*αὐτᾷ*	*αὐτῇ*	*αὐτᾷ*
3	*ἔμβαλε*	*Ἔμμαλε*	*ἔμβαλε*
4	*ὤ*	*Ὦ* (rectius quam *ὤ*)	*ὤ*
—	*ἀλεμάτω*	*ἀδεμάτου*	*ἀδεμάτω̊* A *αδειμάντου* C
8	*γᾶς*	*γῆς*	*γᾶς*
9	*ὤμες*	*ὦμες* (err. typogr.)	*ὤμες*
10	*ὁμοῖος*	*ἐμεῖο*	*ὁμοῖος*
11	*Δίνωνα τοιαῦτα*	*τοιαῦτα διώνα,*	*δῖκῶνα* (dupl. accent.) A *δίνῶνα* C
12	*ὅρη* (et *ποθορῇ*)	*ὅρη* (et *ποθορῆ*)	*ὅρα* A
13	*λέγει* (sc. Gorg. loq.)	*λέγω* (Prax. loq.)	*λέγω* (Prax. loq.)
14	*ἀπφύς*	*ἀπφῦς*	*ἀπφῦς*
15	*μὰν*	*μὲν*	*μὰν*
15	(*λ. τὰ πρώαν θην*	*λ. πρώαν θὴν,*	*λ. δὲ πρώαν θὴν* A *λ. δὲ πρόαν θὴν* C
17	*τριςκαιδεκάπαχυς.*	—*'πηχυς*	—*'παχυς*
18	*ταυτᾷ ἔχει*	*ταῦτα γ' ἔχει*	*ταὐτά γ' ἔχει*
19	*ἑπταδράχμως*	item	*ἑπτὰ δραχμῶς* C *ἑπτὰ δραχμῶς* (et *ε* supra *ω*) A
19	*γραιᾶν ἀ. πηρᾶν.*	*γραιᾶν ἀ. πηρῶν.*	*γραιᾶν ἀ. πηρᾶν.*
20	*ῥύπον*	*ῥύπος*	*ῥύπον*
21	*λάζεν*	item	*δάζεν* A, sed secunda manus in *λάζεν* immutavit.
22	*βᾶμες*	*Βᾶμες* Verba *Πτολεμαίω* usque ad *Ἄδωνιν* (v. 23) omissa sunt per typogr. neglig.	*βᾶμες* A, sed *βῶμες* C.

Vers	Ed. Ameis.	Ed. GOURMONT.	Codd. mei A. C.
23	ϑασόμεναι	. . . .	ϑασόμεϑα
24	κοσμεῖν	κοσμῆν	κοσμῆν (optime!)
—	ὀλβίω	ὀλβίῳ	ὀλβίω
	Verba ἐν ὀλβίω etc. Praxinoae tribuit.	Verba ἐν ὀλβ. ὄ. π. Gorgoni assignat.	Item codd.
* 25	Gorgoni assignat verba ὧν ἴδες, ὧν εἶπες καὶ κτλ. usque ad ἀεργοῖς κτλ., quae Praxinoa profert.	Praxinoae verba sunt ὧν εἶδες, χ' ὧν εἶπας κτλ. usque ad v. 34 (ut in Ald. sed male! Vid. J. A. Jacobs not. supplem. ad h. v.).	In codd. Praxinoa hunc versum profert, sequentem (26 ἕρπειν κτλ.) autem Gorgo. Cod. A. dat ὧν ἴδες χ', Cod. C autem ὧν εἶδες, χ' (Vid. prolegg. p. 15.).
26	ἕρπειν	ἕρπην (rectius quam Ald. ἕρπῃν)	ἕρπειν
* 27	αἰνόϑρυπτε	Item	αἰνόδρυπτε C.
28	χρήσδοντι καϑεύδειν	χρήζοντι καϑεύδην	χρήζοντι καϑεύδεν
30	ἁ δὲ σμᾶμα φ. (G. Hermanni conject.)	Ἁδ' ὡς (probat. Göttling. de accent. p. 115) νᾶμα	ἅδ' ἐς A ἄδδες (forsitan ἄδεες, nam dubium est) νᾶμα Cod. C.
—	πουλὺ	Item	πολὺ A.
32	παῦε· ὁκοῖα	Παῦσαι. ἐποῖα (error. typ.)	παύσε' ὀκοῖα (sed sec. man. male immut. in ὀποῖα) Cod. A, at παῦε ὀκοῖα optime Cod. C.

* Quod ad h. v. attinet, codicum meorum (A. C.) lectiones *perperam* exhibet collatio Gaisfordiana (apud J. A. Jacobs).



CORRIGENDA NONNULLA ET ADDENDA.

Pag. 1 lin. 7 lege: morerentur.
„ 5 l. 19 lege: blanda.
„ 6 l. 16 post „vicinos nostros“ adde: (Gallos ac Belgas).
„ 11 l. 25 lege: *Καϑίζεν* (pro *καϑίσδεν*). — Ibid. lin. 26 post „Valck. sententiam“ adde: in not. ad h. v. pag. 211 C.
„ 13 l. 10 lege: Hor. (Ep. I, 7, 62); lin. 12 lege: alius (Ep. I, 7, 16.
„ 13 l. 24 lege: Quod ad locos etc.
„ 14 l. 2 inf. in fin. lege: (ἴδες χ').
„ 14 l. 6 et 7 inf. dele: (Quam scriptionem sec. est Gaisf.)
„ 21 lin. 9 lege: factitanda. — Ibid. lin. 19 deleatur „et quidem.“
„ 23 l. 9 *Zetzschius* scribere debuit: *ἰδοῦσα*.
„ 26 l. 12 post „administri“ adde: Illustris G. Hermanni huic conjecturae locus dari prorsus non poterit, quum in ipso hoc Idyllio, v. 80, eadem ista vox, *ἔριϑοι*, *perquam honorifico sensu* quasi *de deabus* (cf. v. 79) adhibeatur.
„ 27 not. 3 lege: GOURMONTIANA. In fine ejusdem notae adde: Valde me firmat Etymol. M. auctor, qui Δῖος itidem deductum censet, assentiente Blomfield. ad Aeschyl. Prometh. v. 88; habet ille autem haec: — — — *ἀπὸ τῆς Διὸς γενικῆς Δἰϊος, καὶ κράσει τῶν δύο ἴι εἰς ἓν, Δῖος*. (Apud Aesch. l. l. varia lectio est „διὸς pro δῖος.“ Blomfield. ibid.)
„ 31 l. 15 lege: GOURMONTIANA.

CURAE THEOCRITEAE.

PARTICULA ALTERA,

CONTINENS

NOTAS CRITICAS ATQUE EXEGETICAS, QUIBUS

IDYLLII XV.

LOCI ALIQUOT DIFFICILIORES EXPLICANTUR, ET AB DIVI GODOFREDI HERMANNI INCURSIONIBUS DOCTIS (QUAS CONIECTURAS VOCANT) DEFENDUNTUR.

(Theocriteorum studiorum, quae huius opusculi auctor inde ab anno MDCCCXXIV. ad hanc diem usque iam publicavit, quaeque ad interpretanda Idyllia I. II. XI. et XV. spectant, FASCICULUS SEPTIMUS.)

SCRIPSIT

FRANCISCUS WEISSGERBER.

Friburgi Brisigaviae,

APUD F. X. WANGLER.

1851.

PRÆFATIO.

In novissimo lycei professorum concilio, quod ante has ipsas ferias aestivas habuimus, quum inter varias, quae ad rem scholasticam nostram rite gerendam pertinent, collocutiones in PROGRAMMA, hoc anno edendum, incidissemus: hocce munus ab scholae nostrae rectore, viro probissimo, nuper in rebus adversis meis, ubi Ovidiani illius »*Donec eris felix, multos numerabis amicos*« etc. — diram veritatem iusto vehementius expertus sum, mihi spectato, et ab reliquis collegis humanissimis, partim (quum vicesimum octavum iam, et quod supra est, annum publico philologiae praeceptoris munere fungar) discipulis quondam meis carissimis, mihi demandatum est; quam provinciam lubens suscepi.

Jamque in eo eram, ut de *antiqua musica Graeca*, cuius notitia ut longe difficillima, ita maxime neglecta est, cuiusque studium abhinc duos fere annos praecipue cordi habere coepi, scribendum quid mihi sumerem, nempe NICOMACHI GERASENI operis, quod inscribitur „*Ἁρμονικὰ στοιχεῖα*“ (Harmonices elementa), versionem Germanicam, quae prope iam confecta ultimam tantum manum requirit, publici iuris facerem, quum casu et fortuitu ad consilii mutationem sum adactus. Namque viri doctrina, huma-

nitate, scriptis insignes, uti antehac publice, ita his ipsis diebus privatim, partim per literas, partim coram me, ut studia mea Theocritea, optimis codicibus, et manu scriptis (Parisinis; vid. «Curas Theocriteas» meas, p. 2 sq.), et typis exaratis stipata ac fulta, pergerem publicare, tam benevole quam acriter monuerunt.

In quibus vir, quam plurimis optimae notae libris per Germaniam aliasque terras literis excultas praeclarus, alienigena quidem, sed aliquot abhinc annos laetissimae urbis nostrae Zaringensis incola, haud mediocre huius civitatis nunc ornamentum, Carolus Spindlerus; qui nuperrime, quum una cum illo essem (quae res grata iucundaque non raro mihi contingit), et, occasione data, istam provinciam, programmatis nempe edendi, mihi evenisse, cum eo communicarem, perhumaniter, uti solet, nec sine insigni quadam, quam permagni facio, erga me *latinitatemque* meam benevolentia mihi suasit, ut *latine* iterum scriberem aliquid proponeremque.

Cuius autem viri, liberali doctrina politissimi moribusque suavissimi, consiliis benevolis tantum abest, ut aut velim aut possim obstrepere atque adversari, ut etiam, si non, ut nunc fit, grata mihi iucundaque, sed minus iucunda, imo vero etiam laboriosa mihi, at quae eadem ipsi iucunda commodaque essent, suaderet, obsequi illi nequaquam dubitarem. Talia ut sentiam et, si detur occasio,

faciam, eo magis fert animus meus, quod, iniquis aliquando fatis vehementer mihi ingruentibus, quum popularium meorum, partim vel eorum, quos diutina iucundaque invicem consuetudine plane devinctos mihi tenere putaram, sat multi me, quamvis insontem, citissime planissimeque desererent, alii, haud pauci numero, frigescere, alii — tantum non omnes — tepescere coepissent, veterem suam erga me voluntatem illabefactatam, pristinamque suam mei, hominis fidi sibique constantis, fiduciam integram inconcussamque servavit *D. C.* Spindlerus. Cuius rei vivam in perpetuum gratamque tenebo memoriam. Quare, sicuti antehac, eadem occasione oblata, aliquoties iam feceram, Theocritum, cuius divinae fere bucolicae poesis (dramatis b u c o l i c i, ad Homeri carmen h e r o i c u m, quod ad venustatem attinet, proxime accedentis!) magno inde a prima adolescentia me teneri amore haud infitias ierim, recipere et «Curarum Theocritearum» mearum, ad Adoniazusas, praestantissimum sane vatis Siculi carmen, spectantium, quarum prius specimen, anno 1848. lycei Rastadini programmatis loco a me propositum *),

*) Curae Theocriteae ad Adoniazusas sive Idyllium xv. pertinentes, quibus praeter disputationem de difficilioribus aliquot locis inest specimen editionis, ab hujus opusculi auctore paratae, necdum in publicum emissae, et trium codicum Parisinorum nec non Parisinae Principis Editionis, Gourmontensis nempe, circa annum MDX in lucem emissae, hucusque INCOGNITAE accurata notitia. Edidit Franciscus Weissgerber. 1848. Rastadii, excudebat Guil. Mayer.

viris doctis praecipue *Θεοκριτοφίλοις* non omnino displicuit, ALTERAM PARTICULAM in lucem proferre decrevi.

Quod, ut prae se fert huius opusculi inscriptio, *singulos tantum illius poematis versus*, flores quasi e pulcherrimo suavissimoque illo horto Theocriteo excerptos, desumere et genuinam eorum naturam accuratius indagare atque ob oculos ponere animum induxi; vestigia calco summorum virorum, de poeta nostro per longam annorum seriem optime meritorum, ut CAROLI AMEISII *), LUDOLFI **) AHRENTIS, qui iidem, antequam *cuncta* poetae nostri (nec non reliquorum bucolicorum) carmina ederent, singulos singulorum idylliorum versus in examen vocare atque illustrare conati sunt.

*) Vid. «Adnotata in Theocritum. Specim. I. Scripsit C. Ameis.» (Mühlhusae Thuring. a. 1840.)

**) «Emendationes Theocriteae. Scripsit H. Ludolfus Ahrens. Gottingae 1841. (Theocriti editionem, a clariss. hoc Viro nuper curatam, ante hos septem fere menses ab librario venditore petivi, needum accepi; quod doleo vehementer.)

ANNOTATIONES

AD

IDYLLIUM XV.

De nominum propriorum in hoc idyllio apparentium significatione.

Nomina propria, quae in hoc lepidissimo suavissimoque DRAMATE MIMICO adhibentur, de quorum significatu huc usque, quod sciam, interpretum nemo quidquam disseruit, *ad singularum personarum indolem moresque denotandos* felicissime si non ficta, delecta certe mihi videntur.

Namque Γοργώ (v. 1 et 3) i. e. γοργὴ *) ἰδεῖν, hoc loco idem declarat atque ἡ ἑλίκωψ (cf. Schol. ad Iliad. I, 98: ἑλίκωπες οἱ τὴν ὄψιν γοργοί, i. q. «*lebhaft, munter, rasch*» Passow. in v. Γοργός) i. e. *vivida, alacris. Pulcri vividique oculi* autem praecipuum apud Graecos pulcritudinis indicium erant. Et *pulcram* revera fuisse Eunoam versus 51. et 62. demonstrant.

Πραξινόα (v. 1.) est *animum labori intendens, solers ac laboriosa* (i. q. φιλόπονος, de quo vocab. Cic. Tusc. 2, 15: «Industrios homines Graeci studiosos, vel potius *amantes doloris* [h. e. φιλοπόνους] appellant: nos commodius laboriosos.»).

*) Γοργὴ Λυσανίου apud A. Boeckhium in Corp. Inscr. Gr. vol. II, n. 3097. apparet.

Εὐνόα v. 2., i. e. *bona* s. *sana mente praedita, bene morata.* Famula *primaria* et solito cultior dignaque, quae *dominae ad manum esset*, fuisse videtur; altera autem *serva infimi generis*, cui puerulus (Zopyrion) custodiendus erat, non proprio, sed nomine *gentilicio* tantum in servorum genere usitatissimo, *Phrygiae* nempe, appellata est. Barbari enim et prae ceteris gentibus obtuso et servili ingenio notati fuerunt Phryges; unde parum honorifica proverbia, *Phryx plagis melior fieri solet* (Cic. p. Fl. 27.) et, *Sero sapiunt Phryges* (Cic. Fam. 7, 16), orta sunt. *Phrygia* apud Plautum quoque (Aul. 2, 2, 7) nomen est *ancillae*. — *Εὐτυχίς* *) v. 67. Gorgonis serva, quae quum prima, ut videtur multitudinem *feliciter* pervaserit, commodeque in aulam regiam introitum dominae eiusque amicae quasi praeparaverit (quod ex v. 67. sq. colligere licet) *fortunata* recte audit.

Δίνων [aut *Δείνων*, v. 11.] «Libri omnes dant *Διώνα*» [nomen matris Veneris], est Reiskii (ad v. 11.) oraculum; fallitur autem, uti solet accidere isti celeberrimo quidem, at revera levissimo Theocriti infelicissimoque commentatori (cf. meas «*Curas Theocriteas*» p. 27. sqq.); nam codex Parisinus meus *A* **) *δίκιῶνα* (perperam pro *Δίνωνα* s. *Δινῶνα*), codex *C* **) autem (quondam Coislinianus), cum editione Florentina conspirans, *δίνῶνα* exhibet, duplicato, quae res saepe in veteribus codicibus apparet, accentu; quae duplicatio vero nil nisi accentus varietatem indicat. Illam lectionem,

---

*) Apud Boeckh. n. 3106. *Εὐτυχίς* et n. 3121. *Εὔτυχος* legitur.

**) Codices Parisinos duos antiquissimos illos optimosque, quos equidem de hoc idyllio contuli, quosque A et C literis insignivi, accuratius descripsi in *Curis Theocrit.* p. 30—32.

Δίκωνα *) scil., RUHNKENIUM in codice Parisino invenisse perhibet Valckenaerius p. 304 C.; quare prorsus non dubito, quin clarissimus ille vir eundem, quem ego, codicem Parisinum, antiquissimum illum, lectu dignissimum, at *armatis* vix *oculis* legendum, inspexerit quondam passimque contulerit. — *Δίνωνα*, mihi quoque probatum, editiones habent fere omnes *recentiores*, inter quas Ziegleriana et Ameisiana **), mihi quidem novissimae, quum, quod non sine dolore iam indicavi (praef. p. 6.), editio revera novissima, quam clariss. Ahrens. anno elapso publicavit, in manus meas nondum venerit. — *Δεινωνα*, quod in nullo codice MS., nec ullo vetere libro typis exarato legitur, malunt cum Toupio Valckenaerius (in *ed. secunda*; in prima enim probarat *Δίνωνα*), Brunckius et Boissonadius (vid. inf.); *Δινώνα* vett. edit. meae omnes, inter quas *Parisina* princeps sive Gourmontensis; quam lectionem si servatam velle-

*) Divus *Spohnius*, Lipsiensis, qui, uberrima doctrina et raro pulcri sensu, vere Theocriteo, ut in *Cur. Theocr.* mearum part. I. p. 10. observavi, ornatus atque instructus, praeterquam quod, uti in arena philologica fieri solet, in summos viros, qui Theocrito edendo, emendando, interpretando quam maximam navarunt operam, Hemsterhusium dico (vid. de illo Valck. opuscc. tom. I. p. 383 sq.) et Ruhnkenium Valckenaeriumque (ut taceam Briggsium aliosque), acerbissime invehi solet, praeclare de *hoc idyllio* explicando meritus est, hancce huius nominis formam (sc. *Δίκωνα*) »*ex codicibus Parisinis* [quos contuli W.] *vult restitutam*« (v. J. A. Jacobs. Theocr. ed. Hal. 1824, praef. p. CCI.); qua de re ego quidem, ut ex iis, quae supra exposui, videre est, ab illo prorsus dissentio.

**) Editiones a me de hoc idyllio collatas, inter quas est *Gourmontensis*, i. e. *Parisina princeps*, circa ann. 1510 typis excusa, nuper a me detecta (vid. »Verhandlungen der zehnten Versamml. der Philologen etc. in Basel, 1848,« p. 102 sqq. ubi pluribus de ea egi) indicavi in *Curis Theocriteis* p. 32—39.

mus blandum DIONAE nomen (quod non Veneris matrem tantum, sed et ipsam Venerem passim denotat, auctore Riesslingo ad Idyll. VII., 100) iocularitér a Gorgone gravem suam vituperationem (v. 11.) quasi delinitura, Praxinoae tribueretur; *ita* quidem intellexit h. v. *Salvinius* *) vertitque: «*O cara* Venere!» — At praestat *Δίνωνα* lectio. Ex *Δίωνα* Reiskius noster, ut sibi soli novum quid haberet, finxit *Δίωνα*, acc. ab *Δίων* ductum **). — Quod autem (ut ad rem meam redeam) ad significationem nominis *Δίνων* attinet, ab *δῖνος* si deduceretur, hominem qui *mentis turbine agitur* (Ovid.), itaque *πάραρον*, *einen Queerkopf* germ. (sic HEBEL. quondam vertit, *alter sane Theocritus*; «*delirus*» autem interpr. Ameis.), denotaret; quod epitheton ornans optime conveniret imagini boni hominis, ab ipsa uxore illius descriptae (v. 8. sqq.) — *Δείνων* autem, quod, «notula» nulla defensionis causa adjecta, recepit illustris *Theocriti* editor Francogallus, Boissonadius, *terribilem* hominem (ioci causa) declararet.

Διοκλείδας (sic habent codd. Mss. et edd. omnes) v. 18. [et 147.] Uti alter maritorum, si modo lectio *Δείνων* (ab *δεινὸς terribilis* deduct.) codicibus fulta itáque probanda esset, ita hic quoque *Διοκλείδας* ab *Διοκλῆς* (i. e. *Διὸς κλέος*, *Jovis gloria*, — cf. *Διόδωρος*, *Ζηνόδοτος*, *Θεόφιλος* et vernaculum nostrum *Gottlob* vel *Gottlieb*! —)

---

*) «*Theocrito* volgarizzato da *Anton Maria Salvini*, Gentiluomo Fiorentino. III. Ediz. In *Venezia* 1744.»

**) Cum Reiskio (at huius rei prorsus ignaro) consentit *mirus* omnino Theocriti interpres, *Andr. Divus Justinopolitanus*, qui Theocriti Idyllia *ad verbum* in lat. sermonem transtulit, *Basileae* 1554; quem libellum ex bibliotheca *Lugdun. Batav.* nuper (a. 1848) in tempus accepi. Vertit autem: «*Non dic tuo viro dilecta talia* DIONI, MICCO [*μικκῷ* = *μικρῷ*] *praesente!*» — *Risum teneatis, amici!* —

κατ' ἀντονομασίαν sive *δὲ εὐφημισμόν*, lusus et ioci causa, appellatus videtur, quum alter eorum, *Δείνων*, ut, *perquam timidus*, alter, *Διοκλείδας*, tamquam *valde ridiculus ob ineptiam* (haud *ingens gloria!*) a mulierculis nostris aut disertis verbis, aut ipso facto (v. 15—17, ubi sub *uxorio imperio* misere gemens apparet) describatur ac repraesentetur. — *Ζωπυρίων*, v. 13.] Puerulus iste aut ab *rutilo* capillo, aut ab *ardenti*, quo videtur esse, animo (cf. v. 40. sq.), est denominatus. Hoc nomen ut alia, quae ad rem explanandam nostram aliquid facere mihi videntur, Θεοκρίσιος s. Θευκρίσιος et Θευκλείδης apparent in inscriptione votiva, quam Prokeschius in Therae promontorio invenit et per Zellium V. Cl. cum A. Boeckhio V. Ill. communicavit (vid. A. Boeckh. Corp. Inscriptt. gr. vol. II. p. 1089. n. 2476.). Cf. similia personarum nomina eaque partim *graeca* apud Terentium.

Praeclare de Graecorum nominum propriorum delectu ac significatione nuper egerunt viri docti, *Vischerus*, histor. in univers. Basil. prof., in oratione coram philologorum concione Basileensi (a. 1847) habita (vid. «Verhandl. der X. Versamml. d. Philoll.» Basel 1848. S. 79—87), qua exemplis sat multis demonstravit, Deorum et *heroum* nomina in vita communi posthac adhibita esse; ante hunc (Vischerum nempe) Tycho Mommsen in dissertatione, quae inscribitur «*Onomatologica*», quaeque in Theod. Bergkii et Jul. Caesaris Ephemerid. antiq. a. 1846. num. 15. typis est expressa.

Qua *Mommsenii dissertatione perlecta,* Theocritum nostrum, ob praestantiam poeticam et *Θεόκριτον* i. e. *deo* s. *diis electum,* et *Σιμιχίδην* *) (quo cognomine ad

---

*) Sanctamandus (apud Gaisford.) e Scholiis codicis Laurentiani [i. e. Medicei] n. 37, profert versiculos politicos (q. v.), quo-

Σῖμον μελοποιόν alludi mihi videtur, qua de re cf. Thesaur. H. Steph. in v. *Λυσιῳδός*) appellatum esse suspicor. Si vero alterutrum nomen *inde a patre ei inditum* fuit, SIMICHIDAM prius quam THEOCRITUM illum audisse, ex Id. VII, 21 et versu, in nota *) laudato, colligi posse mihi videtur.

Ad infirmandam, fateor, hanc opinionem meam non nihil facere mihi videtur Valckenaerii observatio (in «*Dissert. de Scholiis in Homerum.*» *Opuscc. tom.* II. p. 138) haecce:

«Jam antiquissimo aevo Graeci nomina *bene ominata* consectabantur; Plato in Cratylo, p. 397 B.: *πολλὰ* [*ὀνόματα*] *ὥσπερ εὐχόμενοι τίθενται, οἷον Εὐτυχίδην* [cf. quae supra dixi de *Eutychide* serva. W.], *καὶ Σωσίαν καὶ Θεόφιλον καὶ ἄλλα πολλά.* Res doctis nota multis posset firmari. Praeter cetera, que in N. F. [novo foedere] prostant, nomina *bene ominata* sunt, *Erastus*, EUTYCHUS [cf. p. 7. *Εὐτυχίς*], *Epaenetus*, *Asyncritus* et servulorum, *Onesimus*, *Onesiphorus*. Graeci fuerunt Grammatici, *Pamphylus*, EUDAEMON, *Sosibius*, *Eugenius*, *Eulogius*, *Irenaeus.*»

---

rum primus hic est: *Σιμιχίδα Θεόκριτε, σοφῶν οἴων ποίμαντορ.* (J. A. Jacobs. LXXXIII.)

ANNOTATIONES.

Locus qui multum vexavit interpretes hic est: V. 7. Ἁδ᾽ ὁδὸς ἄτρυτος· τὺ δ᾽ ἑκαστοτέρω ἔμ᾽ ἀποικεῖς. (ed. Valck.), *vix teri potest via; tu vero remotius a me habitas*, praeclare vertit Ameisius.

Ἄτρυτος Codd. et edd. omnes, quod sollicitari omnino non debet; eleganter enim Gorgo, eundo defatigata viribus exhaustis exclamat: *Via haecce laboriosissima est*: proprie, *nullo fere labore terenda*, i. e. conficienda. Est enim ἄτρυτος nihil aliud, quam ἀτρύμων, quod «*non sine labore terendus*» optime interpretatur Blomfieldius ad Aesch. Sept. 874. κακῶν ἀτρύμονες. Laudatur ibidem Aeschyli (Eumen. 402.) ἄτρυτον πόδα et Sophoclis (Ai. 787.) κακῶν ἀτρύτων, qui loci satis superque fulciunt nostrum. — ἑκαστοτέρω ἔμ᾽, quod «*non Graecum nec tolerabile*» Valckenaerio (p. 234 sq.), quod *barbarum* Brunckio videtur, in omnibus meis libris apparet; ἑκαστοτέρῳ habet Juntina. Invehitur Valckenaerius l. c. paulo *immitius* in Aemilium Portum Maittairiumque, *quippe qui vocem istam*, ἑκαστοτέρω, ut *poeticam ex hoc loco in suos indices retulerint.* Vir doctissimus autem ignorare nequaquam debebat, non primos illos viros literatos, sed saeculo ferme ante eos Schrevelium iam vocem istam in lexicon suum Homericum ingessisse: «Ἑκαστοτέρω poët. adverb. pro communi πορρωτέρω, *longius*. Thema ἕκας *procul*» [propius autem adverb. ἑκάςω, quod, auctore Budaeo,

in lex. gr. in v. Herodoto (?) usitatum est. W.]. Et eodem, profecto, modo, quo ab πόῤῥω fit comp. ποῤῥωτέρω, ab ἑκάστω quoque comparativus ἑκαστοτέρω fieri potest, ω metri tantum causa in ν converso. Quod ποῤῥωτέρω quum nemini suspectum sit, prorsus non video, cur alterum, ἀναλόγως formatum, ex vocum ordine Graecarum a quopiam eiiciatur, etiamsi hoc uno tantum loco, quod Valckenaerius recte affirmat, inveniatur. «Sed«, inquiet aliquis, «aliter se habet ποῤῥωτέρω, aliter ἑκαστότερω; ille comparativus enim rite a positivo πόῤῥω, alter autem ab ἑκάστω, superlativo iamiam, ab ἕκας ducto, est factus.» Velim autem in memoriam revocet, Graecos, et in primis poëtas (v. Clenard. institutt. gr. p. 124), non raro ab adiectivis, comparativi vel superlativi forma iam indutis, alios comparativos superlativosve deduxisse; cuius rei exempla sat multa ipse Valck. attulit haecce (ibid. p. 235. A.): καλλιώτερον ex Thucyd., ἐσχατώτερα ex Xenoph. plurr. locc., ἐλαχιστότέρω e Pauli ep. ad Eph. III., 8 (quem locum contra Valck. sententiam recentiores ad unum omnes ut sanum servarunt), ὀψοφαγίστατος καὶ βλακίστατος ex Eustath. Il. p. 814; quibus ego addiderim ex Antesignano ad Clenardi institt. p. 125 ed. Sylburg.: ἀσσοτέρω, ἀσσοτάτω ab ἄσσον propius; ἐσχατώτατος; χειριστότερος; κυδίστατος; προτεραίτερος; ἑκαστάτω Iliad. K. 113, πρώτιστος Soph. El. 651, sive πράτιστος (dor.) Idyll. I, 57 et XXII, 187. Nonne igitur habet Valckenarius, quod sibi persuadeat, nostrum ἑκαστοτέρω, ut prorsus analogum, non minus, quam formas, vix allatas, esse probandum? Imo vero eo indignationis odiique in hanc voculam procedit, ut, quod in Viro tam subtilis iudicii non satis possum demirari, susque deque habens omnes logicae leges, disquisitionem de vera fal-

save istius vocabuli forma his verbis finiat: «*Ab his* [comparativis puta superlativisque, quos supra laudavi] *similibusque multum distat* ἑκαστοτέρω.» [?!] Nonne hoc est de industria quodammodo perspectae, cognitae atque comprehensae veritati adversari? Kiesslingus, quae eius est humanitas, istam voculam, ut quae nil deliquerit, non vult damnare. Summus autem Hermannus in observatt. ad Bucolica, SCHAEFERIANAE Sophoclis editioni suffixis, propitium quidem nostro ἑκαστοτέρω se exhibuit, ita tamen, ut contra ius fasque, ut mihi quidem videtur, *vulgo* illud adindicaverit his verbis: «*nescio an* ἑκαστοτέρω *servandum sit, ut forma, quam vulgus usurpaverit.*»

Paucis annis post autem iterum idque multo vehementius acerbiusque hunc versum tentavit omniaque in eo sursum deorsum versare conatus est, nempe in disputationibus criticis, quae inscriptae sunt «*Scholae Theocriteae*» *) quaeque de Idylliis VII., VIII., X., XIII., XIV. et XV., XVI., XXI., XXVII., XXVIII. et XXIX., praecipue autem de XV., sive de Adoniazusis agunt.

Nam postquam lectionem vulgatam τὺ δ' ἑκαστοτέρω ἐμ' ἀποικεῖς «duplici mendo affectam», medelamque, quam Valckenaerius ei adhibuerat (rescribens scil. τὺ δ' ἑκαστέρω ἄμμιν ἀποικεῖς), infeliciter excogitatam declaravit: suam ipsius coniecturam hanc proponit («Schol. Theocr.» p. 1069): τὺ δ' ἑκαστατέρω μεὺ [μευ?] ἀποικεῖς, addita hac ratione: «*Nam etiam ex superlativis comparativa fiunt, quale vocabulum hic aptissimum est, significans* n i m i s l o n g u l e» [? *diminitivo* prorsus opus non est h. l., quum ἑκαστάτερω sine ulla dubitatione *longissime* et id *quod supra est,* denotet,

*) Vid. «Allgemeine Schulzeitung, 1832, n. 132, 133, 134.»

itaque *superlativi* (non, ut solet fieri, *positivi* tantum) sit additamentum.]

Extemplo autem, exsultanti genio suo coniecturali, ut ita dicam, frena omnino remittens, *alteram*, haud minus audacem et aeque supervacaneam, hanc nobis offert coniecturam: *τὺ δ' ἐμεῦ ἀφ' ἑκαστέρω*, praefixis nempe his verbis: «Sed quum *optimus codex* Mediolanensis [Mediol. 222, apud Gaisford. K.] *ἑκαςέρω* praebeat, nescio an scripserit Theocritus» rell. — Ad quam praeclari viri sententiam observandum est, eum, ut coniecturae suae plus auctoritatis momentique adderet, codici, quo firmaretur ista, summam laudem tribuisse. Hoc autem non tam veritate ipsa ductus, quam specie quadam veritatis inductus fecisse mihi videtur, quippe qui sibi persuasisset, *Gaisfordium*, qui revera illum codicem (Mediol. 222, sive K.) «optimum» nominaverat, *hunc solum* hoc epitheto ornasse, quum ista locutio («optimus cod.») apud illum Theocriti editorem nihil aliud nisi quod «*perbonus cod.*» significet, Gaisfordiusque praeter illum, de quo nunc est sermo, alium quoque codicem Mediolanensem, F. litera insignitum, «*optimum* et antiquissimum» nuncuparit, imo vero etiam Gustavus *Muehlmann* *) pag. 17. eumdem illum codicem *Mediol.* non modo non optimum esse iudicarit, sed et in *pessimos* codd. retulerit.

De audacissima eademque maxime affectata et genuinae lucidaeque harum muliercularum loquendi rationi prorsus adversante ista *secunda coniectura*, quam, si modo liceret, Theocriti vestigia sequens *σοφωτάτας σοφωτέραν* nuncuparem, adhuc quidem nemo mortalis fuit degustaturus.

---

*) *Leges dial.*, qua Gr. poetae bucolici usi sunt. Scrips. G. E. Muehlmann. Lips. 1838.

Illam *priorem* autem (ἑκαςατέρω μευ ἀποικεῖς) ut probatam sibi recepit, quod valde doleo, *Christophorus Ziegler.*, aut nimis credulam doctissimo illi magistro aurem praebens, aut, quod credere malim, «summi illius viri» iusto observantior; quod optima pace clarissimi scriptoris, de Theocrito rectius edendo optime meriti, dixerim. (Cf. ea, quae de illius editione disserui, in *Curis Theocrit.* meis p. 20.)

Sapienter abstinuit *Ameisius*, bene memor illius μηδὲν ἄγαν!

Meinekius de h. l. quasi desperans mancam i. e. versui non satisfacientem lectionem exhibet, τὺ δ' ἑκαςέρω ἔμ' * ἀποικεῖς.

Boissonadius V. Cl. quoque manum huic lectioni vulgatae afferre et in ἑκαςοτέρω μευ eam immutare debere sibi visus est; quin adeo in «notula», ubi *receptum* istud ἑκαστοτέρω «barbarum fere esse» et «μευ auctoritate carere» existimat, iterum immutat, et ἑκαςέρω οἴμοι ἀποικεῖς scribendum «suspicatur.» — Ego quoque, si non *scribendum*, attamen *exclamandum* censeo οἴμοι, tot superfluas (quae nocent!) vanasque intuens coniecturas.

Ameisius, quam rem supra iam obiter tetigi, pie colens codicum vett. auctoritatem, qui, uno Mediolanensi (222., apud Zieglerum «1.») excepto, omnes ἑκαςοτέρω ἔμ' ἀποικεῖς exhibent, lectionem hanc vulgatam censet tuendam; ita tamen, ut, si quid mutandum esset, id, quod Wordsworthius proposuisset, nempe ἅμ' ἀποικεῖς i. e. *insuper remotius habitas*, probaturus esset. — Defenditur nostrum ἔμ' ἀποικεῖς his locis: Aristoph. Avv. 86. χὠ κολοιός μ' οἴχεται κτλ. (v. Wuestem. ad h. v.). Soph. O. R. Κόρινθος ἐξ ἐμοῦ πάλαι μακρὰν ἀπῳκεῖτο (Ameis. ad h. l.). Theocr. VII, 116. κατοικοῦντες ... ἕδος ... Διώνας (sic habent codd. et edd., quare intactam hanc lectionem relinquere debuit G. Hermannus.)

V. 21—24.

Γ. Ἀλλ' ἴθι, τὠμπέχονον καὶ τὰν περονατρίδα λαζεῦ.
Βᾶμες τῶ βασιλῆος ἐς ἀφνειῶ Πτολεμαίω
Θασόμεναι τὸν Ἄδωνιν· ἀκούω χρῆμα καλόν τι
Κοσμῆν τὰν βασίλισσαν· *Π.* Ἐν ὀλβίω ὄλβια πάντα.

(Bern. Zamagnae versio:)

G. Verum age formosamque stolam cape, et aurea nectit
Fibula quam late, pallam; iuvat ire superbas
Divitis ad sedes Ptolemaei, Adonin
Visurae, cui pulcra novae spectacula pompae
Dicitur insueto luxu regina parare.
P. Cuncta domo in ditis sunt ditia.

V. 21. *δαζεῦ* cod. meus A. habuerat; sed posterior manus *δ* in *λ* recte immutavit. *λαζεῦ* codd. Paris. mei A. C. et edd. excepta Junt., quae *λαζοῦ* habet. Ego vero magis Doricum *λασδεῦ* mallem, quod codex A. in Idyll. VIII, 84 offert; *λάζευ* Zieglerus recepit ex codd. Vatt. B. C.

V. 22. *ἀμπέχονον* amiculum (adnot. ed. Basil.) ex *ἀμπὶ* Aeol. pro *ἀμφὶ* et *ἔχω* ductum est, teste auctore Etymol. *M.* ad h. v.:

> Ἰστέον, ὅτι ἡ ἀμφὶ πρόθεσις λέγεται καὶ ἀμπὶ παρὰ τοις Αἰολεῦσιν, οἷον ἀμπεχόνη, [i. e.] ἀμπίσχουσα. (Boeckhius Inscript. Gr. vol. III. n. 5490. ΝΥΜΠΩΝ idem atque Νυμφων esse suspicatur.) Ἔστιν οὖν τοῦτο [ἀμπ.] ἱμάτιον λεπτόν, περίβλημα.

Περονατρίδα] De hac tunica, non consuta, sed fibulis constricta apud Aelianum V. H. I, 18, ubi de mulieribus luxuriosis agit, haec habes:

> τῶν δε χιτώνων τὰ περὶ τοὺς ὤμους ἄχρι τῶν χειρῶν οὐ συνέῤῥαπτον, ἀλλὰ περόναις χρυσαῖς καὶ ἀργυραῖς συνεχέσι κατελάμβανον (*non consuebant, sed continuis fibulis, aureis et argenteis constrinxere* [lege: *constringebant.* W.] vers. Vulteii.) Καὶ ταῦτα αἱ πάνυ παλαιαί (ἐποίουν scil.).

Cuius rei exemplum habes apud Hom. Od. Σ, 292, ubi Antinous Penelopae dono dat:

— — μέγαν περικαλλέα πέπλον, Ποίκιλον· ἐν δ' ἄῤ ἔσαν περόναι δυοκαίδεκα, πᾶσαι Χρύσειαι, κληῖσιν ἐϋγνάμπτοις ἀραρυῖαι·

ubi vides duodecim fibulas prosus aureas [πᾶσαι hic eodem sensu sumtum, quo nostrum ἅπαν v. 20.] «aptatas et comparatas cum suis curvaturis (κληῖσιν), quibus περόναι inserebantur» (Damm. lex. Gr. ed. Rost. in h. v.). Sed et in virili pallio περόνας apparuisse, docet alius Od. locus, (T, 226):

Χλαῖναν πορφυρέην οὔλην [cf. ἅπαν v. 20.] ἔχε δῖος Ὀδυσσεύς,
Διπλῆν· αὐτάρ οἱ περόνη χρυσοῖο τέτυκτο
Αὐλοῖσιν διδύμοισι· (*fistulis* [i. q. κληῖσι] *geminis instructa*).

Hanc (περονατρίδα autem) Doriensium propriam fuisse, Dammius ait l. c., Eustathium, credo, sequens, qui ad Il. E haec habet:

περόνην ἐν τοῖς στήθεσιν ἐφόρουν αἱ παλαιαὶ γυναῖκες, δι' ἧς τὸ κελῆνος [laxus sinus] τοῦ πέπλου συνήγετο [?], Δωριέων καταρξάντων τοῦ τοιουτου ἱματισμοῦ· Φησὶ γοῦν Ἡρόδοτος [lib. IV.] γυναικείαν ἐσθῆτα δωρίδα, τὴν ἔχουσαν περόνας. Vocatur ibidem πέπλος χιτὼν ὃν οὐκ ἐνεδύοντο, ἀλλ' ἐπέροντο κ. τ. λ.

Pollux VII, 13 hoc vestium genus σχιστόν vocat: ὁ σχιστὸς χιτὼν περόναις κατὰ τοὺς ὤμους διῆρτο. (Vid. not. Io. Schefferi ad Ael. I. 18.)

Περόναμα idem quod περονατρίς; data hac occasione observaverim, mihi quidem non videri fieri posse, ut in explicando huius idyllii versu 79., ubi sermo est de splendidissimis tapetis, quae in aula regia celebrandi Adonidis festi causa expromta erant, de περονατρίσιν, vestium genere praecipue Dorica, cogitetur; quare id, quod clariss. Ahrens in Emendd. p. 17 proposuit, probandum censeo et l. c. legendum θεῶν περ ὀνάματα i. e. «res quibus Dii gaudent, sive ἀγάλματα θεῶν» (Ahrens. l. l.); qua mutatione admissa contra codices nihil est tentatum. — Qua in re vero non stat a parte

nostra Papeus qui in lex. gr. (ed. a. 1843) ad v. *Περόνημα* observat: «Theocr. XV, 79., wo Andere es falsch von Stickerei verstehen.»

V. 22. *βᾶμες* cod. A. et vett. edd. quod, ut *δωρικώτερον*, alteri, *βῶμες*, quod dat Cod. C., praeferendum est. «Eamus» recte vertit adnot. ed. Basil. an. 1545., «imus» male Kiesslingus, quum sine ullo dubio *βᾶμες* non pro *βῆμεν*, quod viro docto visum, sed pro *βῶμεν* (coni.) sit dictum.

V. 23. *θασόμεθα* codd. A. et C, ubi tribrachys pro dactylo in II. sede. *θασόμεναι* edd. Junt. Z. K. Gaisf.; tempus finitum magis quam partic. his mulierculis convenire mihi videtur. Ceterae vett. *θασσόμ.* cui superscripsit adnot. Basil., *θεασόμεναι*. Erravit igitur, aut certe commutavit duo verba doctiss. Muehlmann. p. 134, ubi inter «verba in *μι* exeuntibus» post «*ἐτίθεντο*» nostrum «*θασόμεναι* Th. XV, 23.» profert, quasi sit «Med. Futur. Particip.» verbi «*τίθημι*.» In Aldina autem et Gourm. quam ex illa haustam esse, ex hoc loco (atque illo *ἔμμαλε* v. 3.) satis apparet, verba *Πτολ.* — — *χρῆμα* desiderantur, quum typographus per incuriam ab *ἀφνειῶ* ad versus insequentis finem *χρῆμα κ. τι* transierit, itaque integrum versum omiserit. — Dores *τὸ θέασαι θᾶσαι λέγουσιν. Θεόκριτος, θᾶσαι, φίλος* (I. 147.) *καὶ πάλιν, θᾶσαι μὰν θυμαλγὲς ἐμὶν* [*ἐμὸν* Valck.] *ἄχος·* (III, 12). Greg. Corinth. p. 685. — De *χρῆμα* cf. Viger. p. 87—90. Herm.; rem miram adornare vertit adn. Basil.

V. 24. *Κοσμῆν* codd. A. C. et edd. Mor. Junt. Z. K. Gaisf.; rell. vett. et Reisk. dant *κοσμῆν*. — *Κοσμεῖν* verb. solenne de aris ornandis item adhibitum videmus apud Xenoph. Oecon. — *Κοσμῆν* (*ι* non subscripto, quod ignorarunt multi scribae librarii, est forma Aeolica et

Dorica pro *κοσμεῖν;* Dores enim et praesertim Aeoles *τῷ η ἀντὶ τῆς ει διφθ. χρῶνται, ἐλθῆν τὸ ἐλθεῖν λέγοντες* etc. (Corinth. de Dor. d. p. 691, et de Aeol. p. 792.). Dores tamen in verbis in *ω* et *έω* desinentibus magis amant infinit. in *εν* terminantem, eiecto *ι*; *ὑπεραίρουσι* (*οἱ Δ.*) *καὶ τῶν ἀπαρεμφάτων τὸ ι, λαβέν, ἐλθέν, ἐνεύδεν ἀντὶ τοῦ λαβεῖν κ. τ. λ.* (*λέγοντες* sc.) idem p. 691. Cuius formae innumera exempla habes apud Pythagoreos q. v. (cum notis Is. Casauboni ed. H. Steph. 1593) ubi *κοινωνὲν* (Hippodam.), *φιλοσοφὲν* (Lysis p. 877.) *ἐπιτελὲν* (Theages p. 836.) *κρίνεν καὶ θεωρὲν* (Metopus p. 838.) *ἀντέχεν καὶ κρατὲν* ibid. 839.), *πιστεύεν* (contra Atticos accentuum canones Melisse p. 83), *φωνεῦεν*, (ex lege accentt., Anonym. Pyth. p. 865.) passim legimus. Ibidem autem rariores, imo mirae eiusd. infin. formulae hae apparent: *ἐν τῷ κρατεῦν, τὸ ἀδικεῦν* (Theag. p. 834 et 835.), quae Maittairius p. 212. A. audacius forsitan, quam rectius «participia, infiniti locum supplentia» declarat. Alia autem, eaque antiquissima Dorici Aeolicique infin. terminatio est in *εμεν*, sive *εμμεναι*, ut *λακτιστέμεν* (Pind. P. II, 174) *γαρυέμεν* (id. N. III, 55.) *χολώσεμεν* (*χολωσέμεν* malim, est enim per apocopen curtatum *χολωσέμεναι*). Hom. Il. A, 78, ubi Schol. Venetus male hanc terminationem solis Doribus, alteram in *εμμεναι* solis Aeolibus tribuit, quum, ut iam monui, utraque utrisque, vel potius antiquiss. linguae Gr. propria sit. Illud *φιλήμεναι* (pro *φιλέμεναι*) Il. X, 265 equidem pro *φιλεῖν*, quam cum Schol. pro *φιλῆσαι* dictum habere malo. Rarissimae autem infinitivi Dorici formae leguntur in inscriptione Agrigentin. apud Boeckhium (vol. III. p. 5491), nempe *ΑΝΑΘΕΜΕΙΝ*, *ΑΝΑΔΟΜΕΙΝ*, *ΕΙΜΕΙΝ* et *ΤΙΜΕΙΝ* (particip. *ΤΙΜΟΥΝΤΕΣ* ibid.), de quibus, ut de «Rhodiis» formis, praeclare agit Ahrens de dial. Dor. p. 311—315 (cf. p. 330).

V. 26.

Γ. *Ἕρπειν ὥρα κ' εἴη· ἀεργοῖς αἰὲν ἑορτά.*

G. Ire quidem nunc praestat: inertibus otia semper.
(«Tempus est abire», in ed. Morel. adscripsit ipse CASAUBONUS).

V. 26. *ἕρπειν* codd. A. C., quod doleo; praestat enim Doricum magis *ἕρπην*, quod dant edd. Z. K. GOURM. et Mor. Boisson.; *ἕρπῃν* minus bene (v. not. meam ad *κοσμῆν*) edd. Ald. et rell. vett. *Ἕρπειν* verbum solenne videtur de festis spectandis; quare in proverbio illo quoque apparet: *ἕρπειν πρὸς τραχεῖαν ἐπὶ βδαν* Pind. P. 4, 140. — Hunc locum vv. 24—27. mirum quantum vexavit summus Godofr. Hermannus, omnino infringens priscum rerum ordinem, et prorsus aliter, quam in ullo veteri apographo est factum, res distribuens, quem, quod doleo, secuti sunt Zieglerus Ameisiusque; nec tamen Boissonadius, quippe qui verba *Ἕρπην* (sic habet) *ὥρα κ' εἴη* Gorgoni, sequentia autem *Ἀέργοις* usque ad v. 33. *ἁ κλὰξ* (*κλᾶξ* Gourm.) *κτλ.* Praxinoae tribuunt. In Ald. Gourm. et Brub. I. (an. 1545) et III. (an. 1553) v. 26. Praxinoae *perperam* tribuitur; quod recte monet Reiskius. Verborum: *ἕρπην ὥ. κ' εἴη* fida interpretatio apud Cic. Tusc. I, 46 haec est: «Sed tempus est, iam hinc abire.» Similiter, ac Noster, locutus est Herodot. V, 109: *ὥρη ἂν εἴη ὑμῖν*, ubi (aeque atque hoc nostro loco) necessarium esse illud *ἂν*, bene docet Bornemann. ad Xenoph. Symp. III, §. 9.

V. 29. *Κινεῦ* i. q. nostrum «reg' dich!»

V. 30. *Ἁδ' ὡς νᾶμα φέρει.* Quum codd. et edd. fere omnes hanc lectionem exhibeant quae sensum sanum omnino praebet, quumque *σμᾶμα*, quod coniecit G. Hermannus (probarunt Ziegler. et Meinek.), ut ab Attico *σμῆμα* (pro *σμῆγμα*) ductum, ex huius feminae *δωρικω-*

τάτης, ut ita dicam, ore exire haud prorsus potuerit: hanc clariss. Hermanni coniecturam ut ab omni parte nullam censeo repudiandam.

V. 32. παῦε· ὁκοῖα cod. C. παῦσἐ ὁκοῖα cod. A, ubi improba manus recentior δωρικώτατον istud ὁκοῖα in ὁποῖα (sic edd. vett. praeter Gourm. quae per typogr. errorem ἑποῖα habet) mutare tentavit, quem temerarium conatum nigrius prodit atramentum. Illud παύσἐ est futurum, per apostrophen syll. αι, curtatum et pro imperativo eleganter adhibitum. Multo magis mihi satisfaceret, si post παύσἐ signum interrog. scriberetur; tum enim vertendum esset: An desines? (Wirst du wohl aufhören? germ.) quam vocem eodem prorsus sensu, eadem occasione data. ipse ego iam saepe ex iratis audivi. Perquam mirum mihi videtur, Valck., solertissimum alioquin Doricarum formarum inquisitorem, hoc loco Ionicum ὁποῖα, quam Dor. ὁκοῖα [cf. Corinth. p. 683. ὅκα (Dor.) ἀντί τε.. ὁπότε etc.] maluisse, in textumque recepisse; ὁκοῖα Reiskio probatum. – ὁκοῖα – – – νένιμμαι.] Prorsus eandem fere locutionem nuper audivi, ex cultiori nostrae aetatis viro (Germano), quum a pincerna quopiam item aqua offunderetur. Tot verbis opus omnino non habuerunt neque Valck. neque Kiessl. ad hunc versum explicandum; quis est enim, qui eum non intelligat?

V. 33. κλείς, κλεῖς, et ε Dorice in a converso, κλαΐς, unde ι eiecto, et σ cum ξ commutato, Doricum (Sicil.) κλὰξ (κλᾶξ Gourm.) est ortum.

V. 36. sq. in codd. et edd. vett. post πλέον nullum exstat interpunctionis signum; καθαροῦ Junt.; μνᾶς edd. Junt. Z. K., Hag. et Morel., idque magis ex lege Gramm.; quamquam et ἤ vocula, per pleonasmum adhibita, non offendit; quod probat Valck. p. 339. — Ἢ δύο cod. A et edd.; *diversam autem, et nemini adhuc me-*

moratam lect. cod. meus C. exhibet, *καὶ δύο*, quae multo magis, quam vulgata, mihi arridet; moris est enim eorum, qui iusto pluris aliquid emisse sibi videntur, ut, vituperationem, quam verentur, quasi suspensuri et ita imminuturi, non uno vocabulo, sed sensim sensimque duobus pluribusve pretium, quod in rem aliquam impenderint, indicent iis, quibuscum amice de ista re colloquuntur; sic Nostra anxia quodammodo et, ne solito carius constiterit *πεϱονατϱίς* sua, admodum verens, ait: plus puri arg., quam minam [*μνᾶν* enim hac lect. probata acc. est] et duas (h. e. plus quam tres minas) scil. *πϱοτέϑηκα* *); ego enim utrumque acc., et *πλέον* et *ψυχάν*, ab *πϱοτ.* pendere arbitror, cum Kiessl. et Zamagna conspirans, cuius vide interpretationem. Illud *καὶ δύο* autem si probaremus, post *πλέον ἀϱγ. κ.* supplendum esset *ἢ* particula, quemadmodum et Latini loqui solent, ut Caes. B. G. 2, 16. non amplius millia passuum decem, et Liv. 42, 8. non plus decem millia hominum erant. Sensus integer v. v. 36 et 37 ergo hic est: Noli hoc memorare! [sive huius rei me commonefacere; cf. Il. A. 407, ibique Bergleri vers.] plus (quam) minam unam et duas [vel vulgatam si probas: plus (quam) duas minas] telae, (h. e. materiae, ex qua pannus texeretur, comparandae), ipsi autem operi textorio (*τοῖς δ' ἔϱγοις*) animam (i. e. vitam) impendi (h. e. operi absolvendo tam intenta fui, ut vel valetudine parum facta, per multos dies continuos iugo textorio assiderem, ut quam citissime vestis conficeretur). Reiskii et interpunctionem huius loci et interpretationem nil nisi meras nugas esse quis est, qui, accuratius re perspecta, neget? — Interpungit autem ita: *Μὴ μν. Γ. πλεον.* et interpretatur:

*) sic codd. et edd., assentiente Zieglero.

»Noli, o Gorgo, hanc rem amplius ad me commemorare. impendi pecuniae plus quam minas duas.» Et haec postquam ita disposuit atque explicavit V. D., magna voce, et mira se fecisse confidens exclamat: »quo facto clara lux rediit [abiit potius!] et plana [lege vana!] sunt omnia reddita.» Quis quaeso locutionem: μὴ μνάσῃς πλέον pro graeca habeat, quum, quod recte observat Hermann. ad Vig. p. 809, μὴ cum coni. aor. inceptum de uno tantum actu, nec vero de multis, sive de eiusdem actus repetitione, quae certe verbis: ne amplius commemores! indicata est, ponatur? *) quis Praxinoam tam parum sanam mentisque compotem credat, ut, unam mine aut duas minas in hanc vestem impenderit, paucis tantum post eam confectam diebus eam nescisse, arbitretur? — Quod ad usum particulae μὴ attinet, summi Hermanni (ad Vig. p. 809., ubi hac de re acutissime, ut solet, disserit) sententia: μὴ cum aor. imperat. (II. pers.) iunctum ab Atticis vix unquam usurpari, paullo audacior mihi videtur, quum apud Aristoph. Thesmoph. 870. ed. Invernizz. μὴ ψεῦσον ὦ Ζεῦ, legatur. — Apud eundem Aristoph. Plut. 983 et 984 locus, qui ad nostrum firmandum non parum facit, hic est: ἀργυρίου δραχμὰς ἂν ᾔτησ' εἴκοσιν εἰς ἱμάτιον, potuisset arg. drach-

*) V. 36. μὴ μνάσῃς: Herm. Additt. ad Viger. ed. II. §. 286. p. 809: »μὴ cum aor. coniunct. semper significat, non esse aliquid [illegible] Od. ο. 263. (Sed μὴ cum imperat. [illegible] [illegible] quod quis [illegible] re [illegible] Ergo [illegible] [illegible] μὴ μί- [illegible] πλέον [illegible] [illegible]!

mas XX petere ad pallium emendum (Zeun. ad Vig. p. 485. b.) — De ponderibus et praesertim de talento Siculo apud Schol. Ven. ad Il. E, 576, haec habes:

Διόδωρος ὥς φησιν ἐν τῷ περὶ σταθμῶν, *τάλαντον* ἐστι μνῶν ξ', ἡ δὲ *μνᾶ* δραχμῶν ρ', ἡ δὲ *δραχμὴ* ὀβόλων στ. (VI.) ὁ δὲ χάλκους λεπτῶν ζ [hunc Diodori locum Suidas in v. χαλκὸς ante oculos habuit]. *Τὸ τάλ. δὲ νῦν λεγόμενον Ἀττικὸν* [,] παρὰ δὲ *Σικελιώταις* τὸ μὲν ἀρχαῖον, ἦν μνῶν κδ, νῦν δὲ κβ· δύναται δὲ εἶναι τρία ἡμιβόλια [ἡμιόλια?], ὡς ἐν τοῖς περὶ *Σώφρονος* Ἀπολλόδωρος [scil. φησίν i. e. *affirmat*]. Hoc scholion vitiatum et a clariss. Villoisonio pessime interpunctum esse patet.

V. 46. Ab v. 46 ad 49 usque Praxinoe ea, quae Ptolomaeus inde a patre inter Deos relato (i. e. ex quo ille imperium susceperat) sapienter et in rei publicae usum instituerat, paucis exponens demonstrare conatur, populum revera habere, quod tam frequens ad regis aulam affluat; laeta scil. spe impulsos esse cives, ita fore, ut regem suum bonum, justum, liberalem, humanum, popularium saluti ac felicitati pro virili parte consulentem, eaque de causa omnibus carissimum, conspiciant. Regem enim nullum, nisi qui leges ab se sancitas studiosissime servando, jus suum cuique tribuendo, multa sapienter instituendo, civium onera, quantum possit, levando, bonas artes literarumque studia, ut praecipua percipiendae colendaeque virtutis sanaeque religionis subsidia atque instrumenta*), adjuvando, bene de rep. me-

*) Teste graviss. Cicerone pro Arch. 5 et 7., ubi divino afflatus spiritu literarum utilitatem defendit: *„Nam nisi multorum praeceptis, multisque literis mihi ab adolesc. suasissem, nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem atque honestatem: in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exsilii parvi esse ducenda: nunquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes ... obiecissem.*

reatur, civium studio atque amore dignum esse, non imprudens, ut mihi videtur, censet muliercula *).

V. 51. Τί γενοίμεθαι dant codd. A, C. et edd. meae omnes; quod in τί γενώμεθα immutandum esse, nobis persuasurus est summus Hermann.**) ad Vig. p. 730 (n. 108): «Contra in Theoc. XV, 51. scribendum τί γενώμεθα; quid faciamus? [minus bene conversum; est enim: quid de nobis fiat sive fiet? W.] non γενοίμεθα.» Equidem quamquam non negarim, γενώμεθα legi grammaticae magis satisfacere (ut apud Aeschyl. Sept. c. Th. 294. τί γένωμαι, ubi vid. Blomf., et τί φῶ; Herm. p. 742.); tamen γενοίμεθα, omnibus et codd. et edd. vett. firmatum, retinendum censeo; quum hic opt. non ullius

---

Sed pleni omnes sunt libri, plenae sapientium voces, plena exemplorum vetustas; quae (exempla) jacerent in tenebris omnia, nisi literarum lumen accederet. Quam multas nobis imagines, non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum, fortissimorum virorum expressas, scriptores graeci et latini reliquerunt?

*) Talis rex fuisse videtur Ptolemaeus, in cuius honorem sacerdotes Aegyptii anno 196. ante Christ. n. columnam praeclare inscriptam (literis hieraticis et graecis) statuerunt. (A. Boeckh. vol. III. n. 4697.) Initio huius clarissimae inscriptionis Ptolemaeus V. Euerg. his verbis celebratur: Κύριος βασιλειῶν..., τὰ πρὸς τὲς θεοὺς εὐσέβής - - - κύριος... ΚΑΘΑ'ΠΕΡ Ὁ ἭΛΙΟΣ μέγας βασιλεύς; deinde in ipso laudationis documento appellatur: Βασιλεύς Πτολεμαῖος, αἰωνόβιος, ἠγαπημένος ὑπὸ τοῦ Φθᾶ, κατὰ πολλὰ ΕΥΕΡΓΈΤΗΚΕΝ τά θ' ἱερὰ καὶ τοὺς ἐν αὐτοῖς ὄντας καὶ τοὺς ὑπὸ τὴν ἑαυτῦ βασιλείαν τασσομένυς ἍΠΑΝΤΑΣ, ὑπάρχων θεὸς ἐκ θεοῦ καὶ θεᾶς [i. e. Ptol. et Arsinoae, θεῶν φιλοπατόρων (ibid.), filius], καθάπερ Ὧρος ὁ τῆς Ἴσιος καὶ Ὀσίριος υἱός κ. τ. λ.

**) Primus sic scripsit G. H. Schaefer., qui vero parum in hac re sibi constans videtur. Cf. p. 29. init.

hominis consilium (scil. ut fiant quid hae mulierculae; tum enim coniunctivus necessario adhiberetur), sed simpliciter rem futuram declarare mihi videatur («quid futuri sumus?» superscripsit gloss. Basil. sexus Nostrarum oblitus). Nam non solum apud Homerum Il. ω, 691, verum etiam apud ipsos Atticos, «dubitantius loqui amantes» (Bremi ad Lys. Excurs. XII. p. 453) «optativus cum particula ἂν iunctus frequentissime futuri significationem habet» (ipsius Hermanni haec verba sunt, ad Vig. p. 742); mihi vero, nostrum τί γενοίμεθα nil esse nisi τί γενησόμεθα i. e. τί ἄρα ἡμῖν ἔσται Schol., quid de nobis fiet? was wird aus uns werden? (sic mecum consentiens vertit quondam Hebelius) ut apud Aesch. Sept. c. Th. 144 ed. Blomf. τί πόλις ... γενήσεται; quid — de urbe fiet?) — persuasissimum est; pro quo vel nos Germani dicere audeamus: «Was wird (mag, soll) wohl aus uns werden? quae locutio proxime ad istud τί γενοίμεθα accedit. Particulam ἂν autem abesse, nihil prorsus nobis obstat; fallitur enim Brunckius ad Soph. Antig. 600 (Erfurdt.), quum ait, optativum in hac [nostra] loquendi formula non adhiberi, nisi cum part. ἄν; «poetae enim vere omittunt interdum ἄν; si quidem dici quis potest omittere, quod poni non est necessarium» (idem Hermann. ad Vig. p. 818.), ut Choeph. τίς λέγοι etc. (Herm. ibidem); quin etiam in ipso eodem versu Sophocleo (Antig. 604.), ad quem istam regulam constituit Brunckius, Hermannus illud ἄν, quod Brunckio necessarium est visum, omisit: τίς ἀνδρῶν ὑπερβάσια κατάσχοι; (ubi unus tamen cod. κατάσχῃ habet, quod aeque ferendum videtur Hermanno ad Vig. 730). Loci qui Hermanno desideratum τί γενώμεθα firment, sunt Aesch. Sept. c. Theb. 1060. τί δὲ δρῶ; τί δὲ μήσωμαι,

Eurip. Hel. 1268. *τί σοι παράσχω;* Aesch. Pers. 909, ubi eodem fere, quo nostra Prax., terrore perculsus Xerxes exclamat: — — *τί πάθω τλήμων;* quid mihi fiet? quid agam? (Blomf.) ad quem locum idem fere, quod ego ad nostrum *τί γενοίμεθα*, adnotat Blomf.: «In huiusmodi interrogatt. aoristi subiunctivus vicem futuri ind. haud raro supplet.» — Totus mihi assentitur Porsonus (criticorum princeps) ad Eurip. Med. 754, ubi non solum optativum (*τί δ' ὅρκῳ μὴ μμένων* πάθοις;*) intactum hic V. D. relinquit, sed etiam ad firmandum eum J. G. Schaeferus (Lips. ed.) adnotat: «Adverte optativum veri nominis, *πάθοις*, in enuntiatione interrogante.» Quo in loco aeque atque in nostro Theocriteo optativus cum coni. vel fut. ind. posset commutari, primaria cogitatione salva. Conf. Il. A, 137. — *αὐτὸς ἕλωμαι*, ubi *ἕλωμαι ἀντὶ τοῦ ἕλοιμεν* (Schol. Ven. ib.) et hoc sine dubio, aeque atque nostrum *γενοίμεθα*, pro futuro indic. adhibitum est; recte vertunt Berglerus et S. Castalio: ipse auferam, quin imo Vossius: «komm' ich selber und nehm' es.» — Il. Σ, 308 legimus autem, *Στήσομαι, ἤ κε φέρῃσι μέγα κράτος, ἤ κε φεροίμην*, (quod explicat Schol. Ven. ib.: *ἕλοιμί κεν, ἤ κεν ἁλοίην*) ubi nullum omnino igitur dubium est, quin coni. *φέρῃσι* pro opt. (i. e. pro futur.) adhibitus sit; in nostro Theoc. loco autem vice versa opt. pro coni., vel potius, ut supra demonstravi, pro fut. ind. est positus. Itaque vulgatam lectionem, reliquis interpretibus recentioribus, uno Boissonadio excepto, iam desperatam conclamatamque, ego quidem velim servatam.

---

*) De Crasi vid. Götling. §. 44. Buttm. Gr. amp. §. 30. 4. et Ahrens («De Crasi» cet.)

V. 123. sq.

Ὦ ἔβενος, ὢ χρυσός, ὢ ἐκ λευκῶ ἐλέφαντος
Αἰετώ, οἰνοχόον Κρονίδᾳ Διῒ παῖδα φέροντες.

Codd. mei et nonnullae edd. (ut Junt. Ald. et Gourm. all.) in hoc versu ὦ exhibent, idque male, quum, quod optime iam docet Devarius (de gr. ling. particc. p. 337 sqq.), «τὸ ω σχετλιαστικὸν et θαυμαστικὸν cum gravi acc. scribatur, sicut τὸ κλητικὸν semper cum circumflexo.» Hoc ὢ «admirationem» aut «indignationem» significans modo cum genitivo (ubi ἕνεκα supplendum), modo cum nominativo iungi, ubi «ad eius locutionis integritatem qualitatis nomina, ποῖος. videl., vel οἷος intelligenda» sint, ibidem exemplis demonstratur, ut Libanii (apud Bud. Comm. p. 1246.), ὢ λόγος, ὢ φρένες, ὢ σύνεσις et Gregorii, ὢ τίς Ἱερεμίας ὀδύρεται τὴν ἡμετέραν σύγχυσιν i. e. «ὢ ποῖος λόγος etc.» — Quibus ego pulcherrimum locum addiderim et, quod ad ὦ*) repetitum attinet, nostri simillimum, Soph. Ai. v. 859 sqq., ubi dolore et patriae terrae desiderio vehementer commotus, triste suum «vale» dicens exclamat Aias:

Ὦ φέγγος, ὦ γῆς ἱρὸν οἰκείας πέδον
Σαλαμῖνος, ὦ πατρῷον ἑστίας βάθρον,
κλειναί τ᾽ Ἀθῆναι, καὶ τὸ σύντροφον γένος,
κρῆναί τε ποταμοί θ᾽ οἵδε καὶ τὰ Τρωϊκὰ
πεδία προσαυδῶ, χαίρετ᾽, ὦ τροφῆς ἐμοί.

Ceterum ὦ χρυσοι [i. e. χρυσοῖ] et ὦ αἰετω (οἱ pro var. lect. supra ω), dat. cod. A (o aureae aquilae!).

Αἰετὼ (sic edd. vett. omnes quod tantopere vexat Valckenaerium (p. 403), facile ita explicari posse mihi videtur, ut sculptor, ab mytho paululum discedens (quod licet artificibus), non ab una tantum aquila, sed ab

*) «σχετλιαστικόν» illud; nostrum autem est θαυμαστικόν.

duabus symmetriae causa sublatum Ganymedem repraesentarit. De pluribus aquilis cogitat Ameisius, qui, uti solet, eleganter hac de re disserit (in not. ad h. v.). Ac dubium non est, quin, si quis, codicum nonnullorum (apud Zieglerum Med. et Mediol. 1., et Parisini mei A) lectionem variam *αἰετοί* probans, plures aquilas h. l. intelligat, quod ad τοὺς μύθους attineat, nihil prorsus obstet, quum huius rei gravissimos auctores ac testes sibi habeat, Sophoclem dico (Antig. 994. A. Boeckh.: *Ζηνὸς ἀετοὶ . . ἁρπάζοντες*), et Pindarum (P. IV, 7: *χρυσέοι Διὸς ὄρνιχες*), ut taceam alios, minorum gentium scriptores.

At si quis alius, ut ego quidem feci, artis sculpendi habita ratione, duas hic aquilas admissurus, itaque nominativum *ἔβενος* probaturus est: haud prorsus audiendus ei erit Dahlius, qui (in ed. Theocr., Lips. 1804) ad h. v. observavit: lectionem *Ὦ ἔβενος* et *Αἰετὼ* (dual.) *φέροντες* (codd. et edd. enim omnes pluralem tantum offerunt) «et metrica, et grammatica, et mythologica ratione veritati repugnare.» Triplex est enim error doctissimi viri. Namque primo illud comma, quod post *ἔβενος* adhibetur, una cum arseos potestate (vid. Thiersch Gr. gr. §. 100) *νος* syllabam ita longam reddit, ut satis fiat metro. Deinde quod ad duas Jovis aquilas, itaque plures unâ, pertinet, supra iam demonstravi, et Sophoclem et Pindarum huius rei testes esse. Denique neminem Theocriti cultorem latet, eum rarissime duali uti, atque dualem cum plurali iungere haud quaquam dubitare (vid. XXII, 212). Quare nec Dahlius, nec Valckenaerius, nec, qui hanc coniecturam praeivit, Eldickius (infelix coniecturarum fabricator) audiendi sunt, qui *ὦ ἐβένω, ὦ χρυσῶ* — — *Αἰετῶ* — — *φέροντος* censent legendum esse. Carere possumus vel summi Hermanni coniectura,

quamvis ingeniosa, quippe quae «ex parte» saltem Eldikianam (*αἰετῶ — — φέροντος* scil.) ratam faciat. De manifesta duplicis huius genitivi, quorum unus ab altero pendet (sc. *αἰετῶ ἐκ λ. ἐλέφαντος*) in venustissimo vividissimoque hoc poematio molestia non est quod moneam; quam orationis, ita inversae, iniucunditatem hosce triumviros, in arena nostra quondam antesignanos, qui non modo (ut loqui solet Valck.) «*ξυνὰ χρώτων* habebant», verum etiam pulcri sensu instructi atque ornati erant, latuisse, non satis possum mirari.

Ad h. l. afferre liceat suavissima Martialis poemata, in quibus aquilae Jovis fit mentio:

De leone Caesaris (I, 6).

«Aetherias aquila puerum portante per auras
Illaesum timidis unguibus haesit onus;
Nunc sua Caesareos exorat praeda leones,
Tutus et ingenti ludit in ore lepus.» rell.

(*In laudem Plinii*) X, 19.

«Illic [sc. apud Plinium] Orphea protinus videbis — —
Mirantesque feras, avemque regis,
Raptum quae Phryga pertulit Tonanti» etc.

Ego vero suspicor, hanc certe Ganymedis ab aquila rapti atque ad Jovem sublati imaginem ipsam illam esse, quam Syracusanis nostris mulierculis per Adonidis festum videndi atque admirandi data fuit occasio. Nam quis est qui dubitet, quin pretiosissima huius modi opera, clarissimis artificibus excogitata atque elaborata, diligentissime asservata, et ab Romanis imperatoribus rapacissimis illis (ob oculos mihi versatur M. Antoninus!) inde ab antiqua sede Ptolemaeorum, Alexandria, Romam asportata sint? et quis neget fieri potuisse, ut eorum nonnulla ab Imperatoribus liberalibus benignisque, ut Tito, Traiano, viris de republica bene meritis et ipsis (Impp.) percaris (ut Plinio) dono darentur? —

Nam multa, quae eandem hanc rem repraesentarent, artificia tam praeclara, ut ab Theocrito et Martiale celebrarentur, exstitisse, equidem mihi vix possum persuadere. — Qua de re cf. Plin. Panegyr., 35, 40, 45.

V. 147. Ὥρα ὅμως κ᾽ εἰς οἶκον· Ad voc. ὥρα subit mihi satis elegans, quamquam recentiorem olens aetatem, poema ἐπιτάφιον, in quo ὥρα rariori significatione, floris nempe aetatis (τῆς νεότητος) usurpatur, est autem hocce:

Σῶμα κόρης ἁρπαχθὲν ἀνηλικῷ εὐθαλεῖ ὥρῃ
Παρθένου ἀνθοφόρου τύμβος ὅδ᾽ ἐγκατέχει·
Ψυχὴ δ᾽ ἀθανάτων βουλαῖς [βουλῆς?] ἐπιδήμιός ἐστιν
Ἄστροις, καὶ ἱερὸν χῶρον ἔχει μακάρων.

Hoc poematium, quod nuper summus A. Boeckh. publicavit, ego iam ante hos annos XXIII typis exarandum curavi amicisque distribui, additis his verbis: «Communicavit mecum his diebus doctissimus Jul. Fr. Schneller, philos. in hac universitate professor. Investigavit autem illud epitaphium nuperrime in Thaso insula Antonius Prokesch., in exercitu Austriaco tribunus, vir non solum bellica virtute nulli secundus, sed mansuetudine etiam humanitateque insignis; cuius tot tantaque de infelicissimis Graecis merita non modo ephemerides fere omnes (in iis Ἐφημερὶς τῆς Ἑλλάδος· ἐν Αἰγίνῃ 11. Ἀπριλ. Ἀριθμ. 25. Ἔτος Γ.), iustis laudibus extollunt, sed cuius gratissimam memoriam innumerabiles Peloponnesi incolae, quos nuper diris Ibraïmi vinclis, quos miseriis aerumnisque liberavit, quos anxiis parentibus, quos moestis uxoribus lugentibusque liberis, quos desperantibus iam de eorum salute propinquis amicisque reddidit, in imo pectore infixam perpetuo tenebunt.»

Haud ita multo post ad PROKESCHIUM literas dedi cum *carmine graeco*, in ipsius, ut miserorum tunc Graecorum patroni, laudem a me composito; quod carmen humanissime excepit vir illustris, et, donum meum qualecunque quasi redditurus, quatuor graecarum optimae notae inscriptionum apographum, sua (nisi fallor) manu confectum, ad me misit, addita epistola, recentiore sermone graeco perscripta, ex qua, velut cultissimi stili simulque, quod ad benignissimum Illius de poematio meo iudicium attinet, velut rarae humanitatis indulgentiaeque exemplum, nonnulla mihi fas sit affere. Finis epistolae nempe hic est:

Ὅλα τὰ ἔθνη, κατ᾽ ἀναλογίαν ἕκαστον τῶν ἰδίων δυνάμεων, συνήργησαν εἰς ἐκπλήρωσιν τοῦ χρηστοῦ τούτου ἔργου.[1]*——Ἂν ἐδυνήθην νὰ πράξω τι καλὸν, ἡ ἀξία ἀποδίδοται εἰς την θέσιν μου· πᾶς τις ἄλλος ἀντὶ ἐμοῦ, ἂν δὲν*[2] *ἦτο θηρίον ἀπάνθρωπον καὶ ἂν δὲν ἀντέβαινε τὰς ῥητὰς διαταγὰς τῆς Αὐλῆς του, ἤθελε πράξει τὰ ὅμοια.*

Δὲν θέλω τελειώσει τὴν ἐπιςολὴν ταύτην, εἰμὴ ἀφοῦ Σοι βεβαιώσω, Κύριε, ὅσον θαυμασμὸν προξένησεν ἡ ἀνάγνωσις τῶν στίχων Σου εἰς ὅλους τοὺς σοφοὺς εἰδήμονας τῆς Ἑλληνικῆς γλώσσης. Ὅλοι συμφώνως ὑπερεπήνεσαν τὸν ὑψηλὸν βαθμὸν τῆς τελειότητος μὲ τὸν[3] *ὁποῖον ἐδυνήθης νὰ ἐπιτηδευθῇς τὴν τρυφερὰν ὡςαύτως καὶ δυςχερῆ αὐτὴν διάλεκτον, τὴν ὡραίαν καὶ καθαρὰν ἡρωελέγειον στιχουργίαν Σου, τὰς ζωηρὰς φράσεις, τὰς ὀρθὰσ καὶ ἐπιλέκτους λέξεις, ἐν γένει τὸ ὅλον τῆς συνθέσεως. Δὲν ἐποτίσθης ἀπὸ τὰ νάματα τοῦ Μέλητος, ἀλλ᾽ ἡ Ὁμηρικὴ πηγὴ Σε ἔθρεψε καὶ ἐνέπνευσε, καὶ τοῦτο ἐπειδὴ οἱ Θεοὶ ἐπῆραν τὴν θείαν δύναμιν ἀπὸ αὐτὸν τὸν ποταμὸν, διὰ νὰ τὴν*[4] *δώσωσιν εἰς τὸν ἄνδρα ὅστις ἀνθίζει τὰ εὐανθῆ πέριξ τῆς Ἐλευθεροπόλεως.*

Σοὶ στέλλω τεμάχιά[5] *τινα τὰ ὁποῖα διεσώθησαν εἰς τὰς χεῖράς μου καὶ εἶναι εἰσέτι ἄγνωστα, καὶ παρακαλῶν νά μοι διατηρῇς εὐμενῶς τὴν εὐνοϊκὴν Σου ὑπόληψιν, θεωρῶ τιμὴν τὸ νὰ λέγωμαι,*
Ἐν Σμύρνῃ, τῇ 20ῇ Νοεμβρίου, 1829.

Κύριε,

ταπεινός Σου δοῦλος
Α΄. Πρόκεσχ,
Ταξίαρχος ἐν τῇ Ὑπηρεσίᾳ
τῆς Ἀ. Καισ. Βασ. Ἀπ. Μεγαλειότητος.



In una ex illis quatuor inscriptionibus, omnium, ut mihi quidem videtur, Aeolicarum longe optima, formae Aeolicae, partim Theocriti quoque propriae, hae apparent: *ΒΟΛΛΕΥΕΤΩ . ΘΕΟΙΣΙ . ΕΝ ΤΑΙ ΠΟΛΙ ΕΟΝΤΕΣ . ΕΚΡΙΝΝΕ . ΕΛΘΟΝΤΕΣΣΙ . ΔΑΜΟΣ* et *ΨΑΦΙΣΜΑ*, sed *ΚΤΗΜΑ* (*Η*, non *Α* admisso). *ΑΓΡΕΘΕΝΤΕΣ*. — Lin. 33: *ΤΑΙ ΒΟΛΛΑΙ*[6] *ΚΥΡΩΘΕΝΤΟΣ ΑΕΤΩ ΨΑΦΙΣ*[*ματος*], ubi Boeckhius (vol. II. ad n. 2166.), quamquam Prokeschianum apographum per clariss. Zellium iam acceperat, huius diversae lectionis (*ΑΕΤΩ* pro *ΔΕ ΤΩ*) tamen nullam facit mentionem.

[1] scil. liberat. Graec.
[2] *δὲν* i. e. *οὐδὲν* (= non).
[3] *μέ* i. e. *μετά*.
[4] *διὰ νὰ* i. e. *ἵνα* (= ut).
[5] *τεμάχια = fragmenta monument. s. inscript.*
[6] i. e. *τῇ βουλῇ*.

Addenda et Corrig. nonnulla.

Pag. 3. l. 3. et 4. malim scripsisse incidissemus (pro «sermo incidisset»); et
— 3. l. 8. l. vehementius (pro «acerbius»).
— — l. 20. l. NICOMACHI.
— 6. l. 11. l. Abrensii. — P. 7, 10. l. etiamsi (pro si). —
— 11. l. 1. l. Indibrii (p. «lusus»).
— — l. 13. l. repperit (p. «invenit).
— — l. 3. inf. l. Σιμιχίδαν (Dor.)
— 13. l. 4. dele («ed. Valck.»). P. 17, 11. inf. l. auctoritatem.
— 19. l. 18. l. κεχηνός. Pag. 22. l. 19. l. tribuat.
— 28. l. 5. inf. l. ὑπερβασίᾳ.
— 30. l. 3. inf. post «ut» adde: aut poeta, aut...
— 31. l. 13. post «sculpendi» adiice: aut describendi.
— 32. l. 3. inf. post «nulla» subjunge: (in quibus hoc ipsum, de quo sermo est.)

